Pandora
Bacchica
auct. Lachet

va 10,50 4471/A/2
3 4471(2) C IIh
7
2776/95
133
Moreim, J.
Posthumus Sept Den Haag 24/8/28
B

48409

PANDORA BACCHICA FURENS MEDICIS ARMIS oppugnata.

Aut: Cacheto Serenis. ducis Lotaringiæ Consil. & Medico ordinario.

J. MOUSIN

TULLI LEUCORUM.

M.D.CXIV.

SERENISSIMO
PRINCIPI FRANCISCO
à Lotharingia Marchioni Hattonis-Castri; Comiti Vaudemontano, Salmensi, Chalignensi: Barroni Viuariensi, Ruppensi, Turquestainio, Montroliensi ad Sequanam, &c.

Christophorus Cachetus Lotharingus.

PRIMI sapientiæ cultores, quorum doctrina altiùs recondita in fabulis & figmentis, Pandoram fabulantur ab infenso Ioue demissam cœlitùs in hominum vindictam, à Mercurio deductam, ab Epimetheo, neglecta Promethei cohortatione, exceptam, reserato mox dolij sui

operculo deplorandũ mortalium genus atrociſſimis corporum animorũq; moleſtijs aſperſiſſe, quoſcũq; attigiſſet, grauiſſimis morborum dolorumq; tempeſtatib⁹ dies noctéſque demerſos, in extremas anguſtias adegiſſe. Acutum ſanè figmentum (PRINCEPS SERENISSIME) doctrinæ ſaluberrimæ refertiſſimum Emblema, cui pro lemmate inſcribendum, *Extrema gaudij luctus occupat.*

Pandoræ nomine qui voluptatem non intelligat vidi hactenus neminem. Ipſa verò Epimethei vox ſtolidum ſonat & incõſultum, qui, ſpretis virorum experientium conſilijs, (qualem Prometheum fuiſſe ferunt) Pandoræ illecebris delinitus (vt facilis occurſatio & blãditia voluptatis) raptim curſimq; præceps in illius amplexus ruit, Αὐτὰρ ὁ δεξάμενος, ὅτε δὴ κακὸν εἶχ' ἐνόησε.

Acceptoque malo demum ſapit.

Similis piſcibus qui alludunt circum naſſam & inire geſtiunt, incluſi exitum quærunt: Simile namque in voluptate cernitur quod ambiunt liberi, damnant capti. Equidẽ dum in Pandoram, qualis ab Aſcræo illo muſarum Vate depingitur mentis aciem conuerto, mirari ſubit priſcis illis temporibus, quibus diuinę fidei iubar nondum affulſerat, Prometheos inuentos, non qui alios, ſed qui ſeipſos ab eius fruitu & conſuetudine auocarent.

Παύτα δέ οἱ χροῒ κόσμον ἐφήρμοσε
Παλλὰς Αθλώνη·
Εν δ' ἄρα οἱ σήπεσσι διάκτορος Αργειφοίτης
Ψεύδεαθ', αἱμυλίους τε λόγους, καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
Τεῦξε.

Illam omni formæ Pallas decorauit honore:
Illi in pectoribus victor Cyllenius Argi

Mendaci, blãdaq́; dedit sub voce dolosos Mores.

Illi mens, oculi, vultus, verba, vniuersi corporis ornat⁹, composita omnia: omnia ad suauitatem & modestiam ficta; ad lenocinium & molestiam facta.

Sed ecce nunc eandem ipsam detracto fuco, non Pagano illi Epimetheo, sed toti Christiano orbi visendam offero, spoliatã inquam subdolo fucatarum artium mantello, sed proprijs suorum spolijs, non ornatam quidem, sed onustã, luxu & lasciuia petulantem, Bacchico furore concitatam, communi calamitate hostiliter exultãtem de tragica multorum clade superbè ac insolenter gloriantem, de Tyrannico in omnes nationes imperio gloriosè triumphãtem. Pandoram offero non aduerso, sed adspirante Ioue; non in odium & pœnam; sed in fauorem & gratiam, in vitæ ac valetudinis tutelam: Con-

ſule & Doctore experientiſſimo Mouſino, tanquam altero Prometheo: Te Mercurio (Princeps Chriſtianiſſime) Tua inquam Celſitudine præſide & duce, non vt amicè illa & beneuolè admittatur, ſed vt æterno exilio damnetur. Quem verò æquiùs interponam.

Nuntium magni Iouis & Deorum,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce componat?

Vti de Mercurio illo facundo Athlantis nepote cecinit Horatiꝰ) Quid voce dico? Addo & exemplo, auctoritate, prudentia. Enimuerò (vt Heroïcas tuas laudes prætercam, omnium conſenſu & ſuffragio ad quos celeberrimi nominis tui fama peruenit, ſummo Heroë digniſſimas ex Regia Francorum, Lotharûmque proſapia oriundo) ſingularem, ac planè admirabilem in te prudentiā, ſummum in ſumma vbertate rerum omnium modum, aſſiduè contemplantur tui,

demirantur exteri. Emicat & quaquauersum, meridiani solis instar, munificos & salutares effundit radios Nobilis, & verè Regius tuus ille genius, in consulendo sapiens, in regendo prouidus, in prouidendo solers, in agendo sedulus atque industri⁹, in laborib⁹ indefessus, in nouissimis hisce bellorum ciuiliũ compescendis tumultibus, qualis in præcedentibus semper visus est, magnanimus: Et (quod maximè ad rem præsentem facit) in Regio quotidianæ mensæ apparatu frugalis, in frugalitate penè diuinus. Fœlicem Lotharingiam hoc genio, cuius splendor & dignitas, non ad eos solùm qui nunc sunt, sed ad posteros diffundetur, dum erit in terris nomen Lotharorum. Demirari certè licet eximias id genus Principis & generosi animi dotes, imitari vix licet. Tuæ itaque tutelæ (quoniam ita tua fert Celsitudo, aut illa poti⁹ infra tuam Celsitudi-

nem humanitas, in te quaſi hæreditario iure à tuis maioribus tranſfuſa) Tuæ inquam tutelæ (Princeps ſapientiſſime) Pandora iſta committenda eſt. Tuo inſpecto nomine tanti erit apud ſingulos, ſummos, medios, infimos, quanti apud te illam eſſe compererint. Iactam (quod dicitur) aleam inuenient, effuſam ſcilicet pixidem malorum, ſed adhuc reliqua ſpes.

Ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε
Ἐξέπτη.

Intus, & è labris ima ſub parte reſedit

Reliqua ſpes (inquam) in pyxidis labro tantò futura auctior, quantò Pandora ipſa tãti Principis auctoritate depreſſior. Illam tuis auſpicijs deprimat, & funditùs euertat DEVS TER. OPT. MAX. Excelſum tuæ Celſitudinis animum ad præclara quæque & ſublimia, vt ſolet, erigat; honores, & ditio-

nes Principes amplificet; fortunas Regias, Regiæ tuarum virtutum præmia, impertiat Tibi, Tuisq; in Nestoreos & fœlices annos.

PRÆFATIO

Ad Candidum Lectorem.

DVM ego me ad alteram mearum controuersiarũ partem accingo (studiose lector) ecce variè distrahor corpore & animo, statio mihi nulla firma, nulla certa est, modò huc, modò illuc vagus & errabundus feror quò me assiduus vocat ægrotantium inuitatus nullibi minùs assiduum quàm ea in vrbe in qua domicilium collocaui. Totum me praxis occupat abiecta rei familiaris cura, liberorum & librorum. Neque enim studere domesticis rebus per absentiam licet, neque serijs & seuerioribus musis defigere animũ per occupationes

vocat. Si quod interim otium est, libentißimè in literis colloco, in ijs, inquam, literis quæ neque continuam & adstrictiorē operam, neque integrum hominem requirunt. Occurrit in eiusmodi otio doctissimi D. Mousini Philosophi & Medici absolutissimi, ac ornatissimi mei collegæ de ebrietate liber lingua vernacula conscriptus, paulò ante mihi ab auctore in amicitiæ symbolum (quæ illi mecum arctißima est) oblatus: ad cuius lectionem tum auctoris industria & beneuolentia mihi pluries explorata, tum mutua gratia, tum optima de opere concepta me opinio adigebat. Librum non tam lego, quàm deuoro. Placet in eius lectione cōcinnus verborum apparatus, rerum varietas, doctrinæ firmitas & grauitas: summa in tam eleganti apparatu facilitas, in tanta varietate sine confusione series, in tanta grauitate suauitas, summus lepos, tersa selecta, docta curiosa omnia, dignus equidem nationum omnium lectione liber, vt nationum omnium an-

tiquos mores graphicè depingit, quò nostrorum seculorum odia in ebrietatem concitet, expressa eius ad viuum imagine, quam communi malo paßim vbique ferè apud Septentrionales nostros quasi postliminio receptam experimur. Mox initum mihi consilium non minùs vtile quàm lepidum ac eruditum opus vulgari scholis idiomate reddēdi, quanquam nimium vulgari fortaßè stylo. Vt vt sit tādem, si qua mea opera habenda gratia, succisiuis debetur horis: succisiuas pariter & subsecundarias horas illi tribui abs te postulo (lector beneuole) mihi satisfeceris, tibi auctor. Interim promissum exoluo, & ad controuersias Medicas me compono. Vale.

D. CHRISTOPHORO CACHETO

AVTHORI.

PRÆCLARÈ mihi de republica vidētur meriti qui se totos in publicum vsum conferunt. Tui hactenus (vir eruditissime) studiorum fœtus in lucem editi satis superque attestantur quantum tu communi omnium bono desudes; sed vel hic vnus tuus pręsens labor id non parùm demonstrat, qui si non mole magnus at fructu erit non aspernandus. Alterius quidem & docti certè viri collegæ tui industriæ is debetur; sed te eo nomine dignus, quòd iam non vni genti, sed omnibus ferè prosit & accessione plu-

rium locupletatus exiſtat. Atque vtinam non curioſitate ſolùm ſuâ delectet: ſed etiam id apud pleroſque efficiat; vt eos ab exceſſu, quo de in eo agitur, auocet, & ad saniora ſobrietatis cõſilia dirigat. Itaque conſtitutum apud ſe habeant omnes, vt cogitent in corde ſuo abſtrahere à vino carnem ſuam, & animum ſuum trãsferant ad ſapientiam deuitentque ſtultitiam, Sapientis laudandum omninò conſilium ſecuti. Qui etiam alio in loco monet abſtinendum eſſe à conuiuijs potatorum atque ab eorum comeſſationibus: quia vacantes potibus cõſumentur. Atque hinc D. Auguſtinus, magnus ille Orientis ſplendor, potiùs mortem oppetendam monet quàm vino plùs æquo indulgendum. Hæc eius verba ſunt ſermone 131. de temp. tolerabilius erat in carne mori, quàm in anima per ebrietatem interfici: Sequente verò rurſum

Eccl. 2. v. 3.

Prou. 23. v. 20.

Ser. 231. de tẽp.

ſermone adijcit. Etiam ſi ad hoc veniretur, vt tibi diceretur: Aut bibas, aut morieris; melius erat, vt caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Et paulò poſt: ille qui ebrietati reſiſtit, ſi cum Dei adiutorio perſeuerare voluerit, & pro ipſa ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad Martyrij gloriam reputabit. Tāta (ſubijcit etiam poſt pauca ibidem) infœlicitate ſe inebriant homines: quia putant ebrietatem aut paruū aut nullū eſſe peccatū. At verò qui credit ebrietatē eſſe paruū peccatū ſi ſe non emendauerit, & pro ipſa ebrietate pœnitētiam non egerit, cū adulteris & homicidis ÆTERNA SINE REMEDIO, illum POENA cruciabit: ſecundùm illud quod beatus prædicauit Apoſtolus 1. Cor. VI. v. 10. Neque, inquit, fornicarij, &c. neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt. Totus

eſt Auguſtinus ſermonibus illis duobus ad ebrietatem explodēdā, incommoditates illius & ſcripturæ loca in eam referens. Miſſas proinde facio infinitas alias eam in rem quæ proferri poſſent tum ſcripturę ſacrę tum ſanctorum Eccleſiæ Patrū ac doctorū, immò etiam gentilium authoritates. Suffecerit hęc vna ſpiritus diuini apud B. Lucam commonitio. Attendite, ait, vobis, ne fortè grauentur corpora veſtra in crapula, & ebrietate. Addendum eôdem quòd vix pro talibus in ebrietatibus peremptis Ecclęſia permittit orare, inquit capitulum Audiuimus, de reliq. & venerat. ſanctorum. Quàm miſerū igitur & deteſtabile hoc peccati genus? Non equidem dānarim vnquam ſobrium vini moderatumq; vſum, quem & Timotheo ſuo cōceſſit Apoſtolus propter ſtomachum eius frequenteſque infirmitates: Sęd effuſum dumtaxat ac

Luc. 21 v. 34.

1. Tim. 5. v. 23.

nimium, ex quo promanant ebrietas ac ebriositas quæ huius libri sunt scopus. Atque vtinam (experientissime doctor) huic labori tuo non testimonium solùm sed mage præmium dare possemus, qui certè in publicum plus conferet, quàm multorum speciosi, addam & famosi libri. Interim animus tibi placeat illius, qui tibi erit omni æuo deditissimus.

Tulli Leucorum
Calendis Iulij 1614.

Carolus Mamburgus, Proton. Apost. & Cano. Tullen.

AD LECTOREM PIVM IDEM MAMBVRGVS.

Non te detineant insani munera Bacchi,
Nec fœda Veneris luxuriosus amor:
Sed mage diuino tu delecteris amore
Ebrius hoc solo; si modò grata salus.

IN PANDORAM BACCHICAM A DOctissimo Cacheto Collega nostro Latinitate donatam,

EPIGRAMMA.

Pandoræ calices temulento Bacchus vt ore
Corripit, in peius vita salusque ruunt.
Detegit errorem Gallis Mousinus, at orbi
Cachetus; Latium nouit vterque palus.
Iam Nilus, Rhenusque scient, Gangesque & Iberus
Quam sapiant fatuo mixta falerna laco.
Iam sapient Nilus, Rhenus, Gangesque & Iberus;
Cumque vnda vinum, cumque mero vnda sapit.

BERTHEMIVS Serenissimi Lotharingiæ Ducis Consil. & Med. ordinarius.

ALIVD.

Virtuti doctrina comes, tibi docti[illegible]
Cachete
Ad famã & superos perbreue sternit iter
Ingenij monumẽta tui, quæ publica viuũt[illegible]
Promittunt meritis nomina magna tuis[illegible]
Tu medicas nuper docuisti claudere lites
Falsaq; diuino destruere ingenio
Nunc quoq; das veram methodũ ritumq; bibendi
Vnde & Mousino sic tibi crescit honos
Macte animo, te magna manet, cùm serior ætas
Adueniet, meritis gratia danda tuis,
Tum laus, tum merces, tum magni gratia cœli
Te manet, incœpta si gradiere via.

Nic. Guibertus Lotharing.
Doctor Medicus.

ALIVD AD LIBRVM.

ANgusto fueras conclusus limite quondam
Docte liber, cunctis gentibus ecce pates,
Iam peragrare potes diuisos orbe Britãnos.
Italiã, Hispanos, Sauromatasque simul.
Teq; videre etiã dupplex Germania gestit
Vtraq; docta cados euacuare meri.
Quod meliorẽ habitũ es nactus studiumque laborque
Cacheti assiduus proxima causa fuit.
Ergo Cacheti viuat per sæcula nomen,
Pandora extincto nomine, viuat opus.

Steph. Regnard.
Med. Doctor.

FRATRI CARISSIMO Iacobus Vaucherius apud Tullenſes Regius Procurator.

Quid tu probas & improbas vinum simul?
Si quid mali ſit, ad virum haud vinum refer.

ALIVD.

Mouſini liber eſt, ſed dictio cōpta Cacheti,
Cacheti librum dictio compta facit.

ALIVD DE EODEM OPERE.

His armis obſeſſa animos Pandora furentes
Leniet, euictas ſponte datura manus.
His armis proſtrata cadet, ſed funere ab ipſo
Laus erit inuicta ſuccubuiſſe manu.

A. Cachetus Prior Rimocurienſis Auctoris frater.

A MONSIEVR CACHET.

*ORes bien que ton nom ne se fust des-
couuert*
Ton merité renõ Caché ne pouuoit estre,
*S'il est vray, ce qu'on dict, que rien n'est si
couuert,*
*Que femme, enfant ou vin ne face en
fin cognoistre.*

Tous les trois sont icy: la matiere du vin,
Le tiltre de Pandore, & le docte artifice
*D'Apollon ieune enfant, eussent tousiours
en fin*
*Faict que ton nom Cachet cacher son los
ne puisse.*

Εἰς Ζωΐλον

Εἰ δάκνειν διψᾷς, σοῖ διψὰς ἔσ, εἰδ' ἄρα
πίνειν
Σὺν Μούσαις, μετρίως ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι.

THYRSVS INSTAR CADV-
cei inuolutus ad terrorem
debacchantis
Zoïli.

Vt Panthera Pandora
Baccho furens Cacheto.
Sic Pandora Panthera

Concinnante Mag. Seb. Thiery
apud Leucos Tullingorum
causarum patrono.

ALIVD.

Mousinũ genio sapit, eloquioq; Cachetum
Ingenio liber hic, eloquioque sapit.

ALIVD.

Versio Mousino, doctrina interprete di-
gna est:
Auctorem cultum versio culta docet.

I. Cachetus Philosophię Can-
didatus Auctoris frater.

PANDORA BACCHICA FVRENS, MEDICIS ARMIS OPPVGNATA.

DE LAVDATIS VINI effectibus.

CAPVT I.

SVMMA quondam apud Babilonios palmæ laus fuit, vt potè quæ trecẽtis sexaginta dotibus instructa totidem ipsis vtilitates cõferret: At lõgè potior viti gratia accepta referẽda, tãtò (inquã) potior, quantò plures nobis præstat vsus, eósq; potiores. Et quidem de ei⁹ palmite quid opus est dicere? cuius ligno quondam veteres vtebantur in imaginibus sculpendis, & construẽdis Deorum templis.

Iouis ſimulachrum in vrbe Populonia ex vna conſpicimus vite tot æuis incorruptum (inquit Plinius) Item Maſſiliæ pateram. Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis ſtetit. Etiamnum ſcalis tectum Epheſiæ Dianæ ſcanditur vite vna Cypria(vt ferunt) quoniam illi ad præcipuam altitudinem exeunt: huc vſq; Plini⁹. Nos vero ſtipite etiamnum vtimur in varios vſus, de quibus, vti & de cœteris partibus, longa oratione diſſerere non eſt præſentis inſtituti. Vnicum mihi propoſitum lectiſſimum eius fructum prælo ſubmittere, inde expreſſum ſuccum Lectori deguſtandum præbere, illud communi tandem ſuffragio pro indubitato ſtatuere, plantarũ omnium hanc vnam vtiliſſimam æquè ac nobiliſſimam æſtimandam.

Parum omninò Diuinæ prouidentiæ videbatur naturæ Archetypum hominem ſibi familiari & conuenienti ſolo, tanquam proprio domicilio, exceptũ, contractum in hunc finem certis prętern naturæ ſuæ ordinem limitibus, atque coercitum vndarũ elementum, terram vaſta aquarum mole anteà obtectã, ac

veluti demersam, aperto cœlo demum expositam, tum quo humanæ habitationi apta redderetur & accōmoda, tum etiam quò benefico superiorum lationum adspirante influxu cuiuscunq; generis animalia, plantanimes, stirpes, viuentia non viuentia, suis velut è penetralibus eruta liberaliter proferret, ni hæc ipsa, atque adeò mūdum hunc vniuersum in Microcosmi cōmodum peculiariter destinasset. Enimuerò (vt de reliquis sileam, prona enim supremi moderatoris imperio ac sponte obnoxia fuêre creata omnia) nulla est ex plātarum numero, quæ & pedibus teri, & abiectissimę vulgò haberi solent, ex qua fructū non percipias haud mediocrem vitæ aut valetudinis siue conseruandæ siue instaurandæ. At quid in his immoror? Quorsum in minuta ista mētis aciem orationisque conuerto? emicat in vite sola Diuinæ erga nos bonitatis, commiserationis, prouidentiæ, singulare argumentum.

Aurea illa prima ætas, quò propius aberat ab ortu suáque progenie, eò vberiùs caloris viuifici radiis illustrata, to-

ta natiuo humido diffluens & turgida, minùs cum morbis, tum cœteris calamitatibus lacessita, haud quaquam vini salutari affluxu tuendæ reparandæq; virtutis ac substantiæ, propriæ, vel contrarii depellendi gratia pro pabulo aut remedio indigebat. Verum vt miserrima fœdissimaque origo malorum omnium Pandora

ἀνθρώποισιν ἐμήσατο κήδεα λυγρά:

vt loquitur Hesiodus.

Difficiles peperit casus mortalibus ægris.

Vt humana vita breuissimis quos experimur finib⁹ quasi repagulis circumscripta, tot tantisque molestiarum tempestatibus, & tam variè obsessa: siue id terræ vitio accideret (vt verisimile est) cui larga salsarum aquarum perfusione plurimùm de pristina gratia, & prolifico illo humore deperierat, cuius opera & virtute sæculis prioribus

καρπὸν ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον

Immunis, rastroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per se dabat oĩa tellus.

(si Poëtis credimus) siue ita diuinitùs ratum sanctúmque in scelerum vindi-

ctam, mox Diuina annuente clementia Noë Patriarcha sanctissimus adinuento vini vsu in subsidium venit, Elixir istud salutis & vitæ plusquam aureum nostris miseriis pro auxilio suffecit. Christianam hanc doctrinam subolfecerat diuinus Plato, cùm datum cœlitùs vinum asseuerauit in huius vtriusque conseruationem. Idem, sed aliquantò obscuriùs, antiqui Mythologici suis fabulis expresserant, cùm aliàs Bacchum, & Apollinem, illum vini, hunc medicinæ parentem, simul iunctos, vnâ eâdemq; arâ colendos proponerent, tanquam ambos vnius sanitatis auctores: Alià Bacchum ipsum, nunc iuuenili forma depingerent, nunc senili; summam in vtrumq; vini efficaciam tali ænigmate exprimentes, cùm ad tutãdum iuuenile robur, tum etiam ad vitã in extremum senium prorogãdam. Id quod non multò post penè innumeri suo experimento confirmarunt; Inter cœteros Pollio Romulus qui ab Augusto rogatus, quo tandem genio vires integras, vitamque incolumẽ vltra cẽtesimum annum produxisset: foris oleo, intus Oinomelite,

respondit. In eandem sententiam Iulia Augusta Imperatrix dicere solebat ordinario vini Pucini potu sibi vitam in annum secũdum & octogesimum protractam. Et sanè si Democritum legim⁹ morti proximum ac penè emortuum, iam prope exhalantem animam in amicorum gratiam sola panis vino intincti inspiratione plurib⁹ diebus cohibuisses abscedentem ab omnibus corporis partibus calorem intrò reuocasse? Quid nobis tandem pertimescẽdum est? quid non sperandum, si maturè maturóque consilio debilia vitæ fundamenta tam firma stabilique basi fulciam⁹? An quicquam est à quo præpropera immineat ruina? imo ne sera quidem, nisi ab edaci rerum tempore, cuius lapsu quæcunq; in tempore orta collabũtur. Longeuæ durationis notas ab ipsa vite sarmentísque expromunt naturæ indagatores curiosi, quam enim in ambobus experiuntur diuturnitatem, eandem nobis ab eorum frugibus pollicentur. Quam ob causam Æthiopum Macrobiorum Rex Cambisis Persarum Regis munera contempsit, aurea monilia, purpurea

vestes, vnguenta odorata, pretiosissima quęque pro nihilo habuit, solum ex dactylis expressum vinum magni æstimauit, quod ad suæ suorumque vitæ tutelam plurimum valere posse credebat.

Quid si diuinitùs stillans ex vuis Nectar tantillum delibasset? sperasset, arbitror, imò spirasset immortalitatem, hoc enim ad vitæ vsus nihil vtiliùs, nihil magis necessarium dici aut excogitari potest; potentissimum est, blandissimum, suauissimum inter medicamēta alimentum, inter alimenta medicamētum. Et quæso particulatim ad examen ista reuocemus, spectemúsque in primis vinum in genere alimenti.

VINVM PRIMAS INTER alimenta obtinere.

CAPVT II.

QVæcunque in probato alimento medici desiderare solent, ea in vino reperiuntur vniuersa. Primum est, vt promptè & facilè in substantiam alito propriam & conuenientem trans-

mutetur, sic vt nullum effatu dignũ negotium alendis partibus facessat, neque diu multùmque in eiusmodi transmutatione reluctetur. Alterũ, non modò vt laudabilem substantiã conferat, sed eandẽ quoque sub exigua mole copiosam. Denique vt parùm omninò contineat excrementi. Hasce conditiones omnes ex ipso nutritionis fine & natura deducim⁹, quæ cùm eò planè referatur, vt reparet atque instauret quicquid è corpore sensim sine sensu, effluxu continuo in auras euanescit, equidem necesse videtur inter alimentum & alitum quædam intercedat communio, similitudòque partium, quæ quò propior, quò magis familiaris, eò promptior & facilior in hunc illius abitus atque conuersio, minor resistentia, alimonia copiosior, pauciora recrementa. Ista, si lubet, in rem præsentem conferamus.

Quàm citò, quàm nullo negotio liquida euincit naturalis calor, si cum solidis comparentur: ita velut extripode dictum ab Hippocrate in Aphorismis, faciliùs nempe impleri potu, quàm cibis: potu, hoc est potulentis siue liqui-

dis

dis: cibis, hoc est ſolidis: repleri, id eſt refici, iſtud vox ſonat πληρῦσθαι. At longè promptior verè alimentitiorum vini vaporum in viuificos ſpiritus commutatio, quæ tanto liquidorum in alendo promptitudinem ſuperat interuallo, quanto hæc à ſolidis relinquuntur. Qui celeri alimenti appoſitione indigēt, humidum ipſis optimum colligendis viribus remedium (inquit idem Hippocrates) quod ſi multo adhuc celeriore egeant, odoribus ſunt recreandi: quò fit vt refouendis ſpiritibus, & reſarciēdis humoribus larga aut violenta Diarrhæa, vel alia quacunque ratione exhauſtis vinum quàm citiſſimè ſuccurrat.

In cuius confirmationem plurimos vidiſſe ſe gloriatur Trallianus præter omnem expectationem vini beneficio ab orci faucibus reuocatos, vitæ virtutíque priſtinæ mox, tanquam momento reſtitutos. In hoc Galeni prudentiſſimi præceptoris ſui exemplū imitatus, qui iuuenē illum tertiana laborantē funeſta Diatritariorum inedia totum elanguidum iacentem, ſine voce, ſine pulſu, ſine ſenſu, propè confectum, mortuo

magis quàm viuo ſimilem, iniecto in os eius vino albo calida modicè diluto magna aſſiſtentium admiratione quaſi miraculo excitauit.

Sed enim non modò citam, ſed benignam quoque & facilem, atque alendis partibus amicam nutritionem præſtat liquor hic ſalutaris, exiguo admodum altricis facultatis labore.

Vt enim facilis tranſitus in ſymbolis elementis, ſic in ſymbolis alimentis; Quæcunque cùm ſubſtantia, tum qualitatibus, ad humanam naturam proximè accedũt, in eam leui trãſeunt actione, ſi leui actione, leuis quoque illorũ ſit reactio neceſſe eſt, nulla inſigni corporis alteratione, nullo diſpendio.

Nunc ad alimoniæ quod attinet vbertatem, maximè ſi de rubro vino ſermonem eſſe patiamur, nullus in Galeni ſcriptis dubitationi locus, nullus in communi Medicorum ſchola contẽtioni, nullus in praxi hæſitationi, aut difficultati: vberrimam illam omnes à vini expectant potione, omnes in eandem ſententiam vnanimes conſpirant. At ſi cui ſuſpecta fortè no-

ſtrorum ſuffragia, aut ſi qui è noſtris contradicendi faſtu intumeſcunt, ad experientiam prouocemus.

Crebræ potationi addictos, parcos admodum in cibis videmus, pingues tamen benè curata cute & obeſos. Qui à potu menſas incipiunt, ſatiantur illicò atque explentur cibis præ larga & ſubita quæ à vino nutritione. Non ideo tamen quenquàm exiſtimare velim θώρηξιν, hoc eſt meri potionem, λίμο, quem caninam appetentiam vocant, copioſæ nutritionis gratia ſubuenire: aliàs ei appetentiæ foret imperanda quæ vel longam inediam vel alui profluuium, vel aliam quamlibet vacuationem conſequi ſolet: cui tantùm abeſt vt commodum aliquod, vel vtilitatem adferat, vt etiam magnoperè offendat, quippe conuulſionibus protinùs ac deliriis prehenduntur, qui ante cibariorum eſum liberaliore vini potu vſi fuerint. At quibus fames morbus eſt, iis vini potio, non cibi copia eſt remedio. Iſta me docuit Galenus propria fretus experientia; Nam & ego (inquit) nõnullos qui perpetua fa-

me laborarent curaui,vino quopiam ex iis quæ haud segniter calfaciunt ipsis liberaliùs propinato. Verùm larga quæ in vino est alimonia, longè ex eo patet euidentiùs, quod tot, tam variis, tam inter se substantia & temperie discrepātibus partibus se sola satisfacit. Tria in corpore multùm inter se se distincta percenset diuinus Hippocrates, contenta, hoc est solida: continentia hoc est humores: impetum facientia, hoc est spiritus: nec mediocre solidarum partium, humorum verò quale elementorum quatuor inter se se discrimen ex iisdem tamen ex quibus diuersa ista, imo planè contraria, conflari partibus oportet quicquid vniuerso corpori accōmodatum præbet alimentum: nō enim aliis nutrimur, aliis constamus. Singulæ quidem in omnibus alimentis, verùm in paucis inueniuntur vniuersæ: nulla in vino deficit, ac potissimùm in rubeo. Sua quippe crassiore consistentia solidas alit partes: suo liquore, humores: blandis atq; odoratis vaporibus spiritus. Nil ergò in vino reperire est quod non nutriat, vnde con-

ſequitur modicum omninò eſſe quod ſuperfluit. Et hæc quaſi compendio de alimentitia vini facultate delineaſſe ſufficiat, quibus plura adſcribere vt non magni operis, ſic exiguæ foret vtilitatis. Illud ſilẽtio prætermitti non debet, tantò hanc in vino, quàm in cœteris alimẽtis vtiliorem, quantò altius medicam illam vim, qua cum iuncta eſt, intimis viſceribus & medullis inſerit atque inſinuat, quemadmodum ſequenti capite demonſtrare aggredior.

VERE' MEDICATVM ET *ſalutare alimentum à vino conferri.*

CAPVT III.

DIctum à ſapiẽte ſapiẽter moderatum vini vſum animo & corpori voluptatem, atque integram valetudinem adferre. Enimuerò calorem natiuum excitat, humidum innatum refouet, ſpiritus exhilarat, debilem ventriculum roborat, languentum ciborum appetentiam ſuſcitat, coctionem pro-

mouet, ſanguinē laudabilem procreat, eiuſdémque quaquauerſum per omne corpus diffuſione, viuidum ac floridum colorem inducit. Obſtructiones aperit, humores attenuat, pituitam exſiccat ac humiditates ſuperfluas, bilē expurgat, placidum ſomnum conciliat & quietum, denique alienum operibus naturæ frigus è corpore depellit. An quiſquam eſt, qui extenuatum corporis habitum prōptè reficere ſtudeat aut inculpatum tueri? Vino vtatur. Quæris ex puſillanimi ac meticuloſo fortē & animoſum? Ex Demoſthene, Themiſtoclem? hominem ab aquæ potione arceto, vinū propinato, idque generoſum: abſcedet mox ab intimo corde metus, à genis pallor, ardor toto corpore maſculus, radius in fronte virilis animi comes emicabit. Sin obtuſi ingenij hominem, atque inuita, quod dicitur Minerua natum, acutiorē reddere eſt animus, atque cultiorem: aut prodeuntē è Xenocratis ſchola nouitium aliquem lima Ariſtotelica perpolire: ſummum in vino præſidium, haud ſcio quid vlla ex parte viribus eius præpolleat. Quamobrē Ariſtophanem,

Alcæum, Æſchylum, Anacreontē, Ennium, in praxi conſectemur, aliòſque celeberrimos Poëtas, qui non niſi vino inualeſcentes & madidi elegantiſſima illa Poëmata conſcripſerunt, quæ lectoribus admirationē, ſuis auctoribus gloriam pariunt immortalem;

Nulla placere diu, nec viuere carmina poſſunt,

Quæ ſcribuntur aquæ potoribus (inquit Horati⁹) vnde ortū prouerbiū, Aquam bibēs nil boni paries, cùm enim vinum accēdendi corporis animique vim poſſideat (vt inquit Plato) animi tricas explicat, & diductis poris corpus efficit vndequaq; peruium, ita vt internis ſenſibus non inuitè ſubſeruiat, & quoſcūque ſubeat liberæ imaginationis motus certitudinem ad ſe ſe pelliciens, & comitem certitudinis adſciſcēs rationem. Quam ob cauſam Bias è ſapientum numero ſibi propoſitorum ęnigmatum ſolutionem diſtulit in extremas menſas, cùm expertū ſcire ſe profiteretur, ſummum in Baccho acumen, huius gratia Lyſium illum appellatū, hoc eſt nodos omnes diſſoluentem, & quantumuis

intricatos difficultatum plexus nulla difficultate extricãtem. Lamprias quoque dicere solebat liberaliore vini potu sibi ingenium exacui, totúmque fœlici inuentione turgescere, madentẽ se quã siccum doctiorem: denique non aliter quàm ab igneo Thus à calore Bacchico, se se affici caloris vtriusque beneficio quicquid in vtroque boni est odoris exspirare.

Possum nil ego sobrius, bibenti
Succurrunt mihi quindecim Poëtæ

ait Poëta quidam.

Iam si anxia cogitatione & mœrore distorquetur animus.

Tristesque iuuat depellere curas

verba ne sectare carmine delusus Horatiano.

Aut voces quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.

Persas ne excurre solitariam herbã Sissitieterim inuestigaturus, hic cõsiste. Ecce tibi optatissimũ secũdis in rebus portum, certam in aduersis Anchoram, extremam in deiectis post naufragium tabulam: his quasi velis remisque grauissimas sollicitudinis & mœstitiæ

tempestates quibus absente Vlysse obsessus tenebatur Telemachus liber euasit. Ecce tibi (inquam) Nepenthes salutare, cuius nomine radicem Oenopiam cum Galeno (qui aliàs mihi pro oraculo est) nolim intelligi. Non Borraginem cum Plinio: multo minus instructæ verbis & sententiis orationis robur, cum Macrobio. Non etiam celebrem illam compositionem quam suo tempore crebro adhuc in vsu apud Thebanas mulieres fuisse prodidit Diodorus Siculus. Verum Nepenthes arbitror vinum. Meæ mihi opinionis auctores Oribasius & Ruffus fautor sapiens, qui vinum ab initio datum hominibus asserit in delicias atque voluptatem. Cui subscribens Horatius.

Natos ait, in vsum lætitiæ scyphos

Idem Virgilium inuitans ad conuiuia.

Nardo (inquit) *vina merebere,*
Nardi paruus onyx eliciet cadum.
Qui nunc Sulpitiis accubat horreis,
Spes donare nouas largus, amaraque,
Curarum eluere efficax.

Iure itaque antiqui libero patri sacra esse voluerunt tanquam hilaritatis

parenti atque assertori. Norunt istud senio graues & morosi, quorum tædia vino demulcentur, vitæ lenitur asperitas, redit pristinus florentis ætatis vigor: vinum idcircò lac senum vulgò nuncupãt. Neque est quod futilia Chimicorum insomnia in hunc vsum perquiramus, non Medeæ incantamenta; illa vix, ac ne vix quidem hilum conferunt ad florem iuuenilem, siue tuendũ, siue renouandum: ista etiam absona & explosa. Ferrum quantumuis durum flexile reddit calor igneus & emollit: Blando vini calore rigida senilis ætatis durities infringitur ac hebescit: Et quẽadmodũ amari lupini repetita aquę perfusione dulcescunt, ita & seniles angustiæ frequẽti vini maceratione leuiores euadunt. Quæ verò deliciæ esse possunt, quæ voluptates aut quàm fugaces infirmo corpori? Si qua in voluptate fælicitas, nulla nisi cum virium firmitate. Sine hac voluptas nulla integra firmáque consistit. A quo ergò firmæ constitutionis, ab eodẽ voluptatis firmioris exordium. At corporis constitutio, à nullo præsidio firmior, quã à vino expectãda;

quiſquis in eo tanquam in aſylo ſpem conſtituet,

Illi cor adamantinum,
Illi robur & æs triplex
Circa pectus erit.

(Horatii verbis vtor) illi ab hoſtili circumſtantium contrariorũ diſſidio, nullæ inſidiæ, nullæ iniuriæ metuẽdæ. Haſce vini facultates omnes acuto ſanè & facili Emblemate exprimit Adrianus Siculus, Bacchum depingit alatum, & iuuenili facie, cum hac inſcriptione *Vinum animi alimẽtum.* Baccho tribuit alas quia mentem erigit ad ſublimia & ardua. Formam huic ipſi tribuit iuuenilem, quia corporis robur auget, & animos addit, & curas ac tædia ex animis depellit.

Non deerunt qui iſthæc ad animum dumtaxat pertinere exiſtiment; At Plinium audiamus in hiſtoria naturali diſertè atque ex profeſſo de corpore loquentem.

Vino (inquit) aluntur vires, colos, ſanguiſque hominum: hoc quoque diſtat orbis medius, & mitior plaga à circumiectis: quãtùm illis feritas facit ro-

boris, tantum nobis hic ſuccus, lactis potus oſſa alit, frugũ neruos, aquæ carnes, ideòque minùs ruboris eſt in corporibus illis, & minus roboris contraque labores patientiæ. Hæc Plinius.

Hectorem apud Homerum hortatur Hæcuba vt prælio ſe defatigatum vino reficiat.

Ἀνδρί δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει.
Vinum namq; viro defeſſo robur adauget.
[inquit]

Tota in eandem ſententiam pedibus fertur antiquitas, in cuius confirmationem præter rem videtur ad antiquorum teſtimonia, aut experimenta deuenire: Plena exemplorum noſtra ætate ſunt omnia, ſenſus auctoritati detrahit, quiſquis vini detrahit facultati. Sed neque in propoſita narratione diutius verſari magnam vtilitatem attulerit, damnum fortaſſe potiùs incautis, qui cum gratiſſimi huius liquoris ſuauitate pellecti, cum noſtra oratione perſuaſi, proſpera ſanitate ipſo vtentur largiùs, demúmq; exorto per abuſum faſtidio, eiuſdẽ conuenientem vſum perhorreſcẽt, ſi quando afflicta ſanitas poſtulabit. Quãquam

paucos omninò fore arbitror qui eius potionem vllo vnquam tempore auersentur, plures fortasse qui tanquam exitialem, aut summis periculis obuiam malè habitis volent esse suspectã. Suam illi cupiditatẽ nostra bona venia expleant quibus neque ingrata est nec suspecta: Cœteri scrupulum ac timorem suæ ignorantiæ conscium nobis hortantib⁹ eximant. Quò verò vtrisque cumulatè satisfiat, quantam in re me dica vinũ vim possideat, expendamus.

VINVM IN RE MEDICA *cœteris auxiliis præpollere.*

CAPVT IIII.

SI partes humani corporis vniuersas attentè perscrutemur, certò statuemus nullam omninò reperiri, cui medicam vim aliquam vinum non impertiat Et quæso (si modò in hac disquisitione tantisper immorari lubet) à partibus principib⁹ nostræ probationis ducamus exordium.

Cerebrum diuinæ mẽtis arcem. Istud

præſidium fouet, reficit atque roborat, mentem ipſam ad ſua munia incitat, mouet, promouet, idoneas & obſequentes reddit quotquot ab hoc principio oriuntur facultates, & inculpatas ab his facultatibus actiones. Id quod intuitus diuinus Plato vinum cerebri mentíſque fotum ſalutarem appellabat.

Hepati certè virtutem haud inferiorem confert, eius temperiem tonúmq; conformis ſubſtantiæ additione ſuſtentat, calorem natiuum vegetum ſeruat, imminutum auget, deiectum erigit, ſemiſopitum excitat, demúmque ſui muneris quaſi oblitum promptum ad opus efficit atque expeditum.

An verò Cardiacum vllum vino gratius aut præſtantius excogitari poteſt? Cordis corculum iure vinum appellaris. Faceſſant Panacæa, Theriace, aurum potabile, cœteraque id genus ſiue Bezoardica, ſiue Spagyrica magno tum antiquorum tum Neotericorum ſtudio & induſtria comparata: Huic vni primę deferãtur ad veneficos ac peſtilẽtes quoſcunque inſultus infringendos; in quo tantum hac in parte momentũ poſitum

volunt nonnulli, vt palam profiteri audeant ebrium à pestis periculo esse immunem. Apud Thasios vitis Theriace vocatur (inquit Plinius) cuius & vinum, & vua contra serpentum ictus medetur. Ego verò non viti solùm Thasiæ vim Alexiteriam tribuẽdam puto, sed & reliquis quoque vbique terrarum. Nec Alexiteriam dumtaxat contra serpentum ictus, verùm etiam aduersus cuiuscunque generis venena, eamque planè Cardiacam, instaurandis continendisq; spiritibus vitalib⁹ nulli præsidio secundam. Vt enim magnã illam veteris Andromachi Theriacem compositionum omnium reginam calidis frigidísque affectibus penè omnibus promiscuè exhibueris sine dispendio, nec sine fructu, licet in secundo sit caloris gradu: Ita quoque vini calor calidiores cordis offensiones atque molestias, nulla offensione, nulla molestia depulerit. Addo & quam Theriaca tutiùs, tum quia naturæ nostræ magis familiare, magísq; à veneni natura dissitum est vinum, tum quia pro diuersa corporum offensionúmque Dyscrasia conuenientem singulis facere

illius delectum licet.

Age modò si tantam nobilibus partibus operam præstat vini potio, quidni parem cœteris quoq; conferat quæ totæ sic ab illis pendent vt à fontibus deducti riuuli? Dolorem oculorum meri potione soluit Hippocrates. Eodem remedio renum ac vesicæ infirmitatem persanat: sua quippe tenuitate quantũuis exiles ac reconditos eorum tubos, subit atque permeat: quæcunque obuia, aut altiùs impacta calore liquat, liquata pellit, excitato firmatóque ad expulsionem partium robore.

Iam quid vino accommodatius ad membra generationi destinata? atq; ex consequenti quid ad generationem ipsam efficacius? Illo genitale semen augetur, fœcũdo spiritu incalescit, tumet, turgescit, fit vterus ad prolifici seminis conceptionem, retentionemque paratior: illius benefico influxu tandẽ conformatio absoluitur, sãguinem quippe vberem & laudabilem sufficit, cuius affluxu spatia inania carnibus & Parenchymatis vestiuntur. Suburratis quoque pulmonib⁹ mirè subuenit. Denique

non

non solùm in intimis medullis ac visceribus vim suã exerit, sed & in ambitum corporis eandem potenter diffundens oscitationibus, horroribus, anxietatibus medetur. Et hæc ex Hippocratis calculo.

Addit Galenus quædam vini genera ventriculo, ac intestinis robur addere: nonnulla plus nimio citatam aluum cohibere, alia nimis adstrictam laxare: nonnulla etiam vẽtriculi dolores mitigare atque compescere, & eos qui ab humoribus in ventriculi fundo stabulantibus exorti, tetris vaporibus caput grauiter oppetunt. Dulcibus ac odoratis vim summam tribuit ad frigidos quoscunque pectoris affectus, ad lassitudines, ad conuulsiones; suo namque calore neruis subueniunt. An hęc à Medicinæ principibus petita suffragia cuinam poterunt esse suspecta? alios si lubet consulamus: sed hic irritus labor; neque enim reliquis vllum apud se locum esse patietur, quisquis Hippocrati aut Galeno fidem derogarit. Præstat facere vlteriùs progressum, & explorare paucis, non modo quid ex se, suáque

propria vi possit vinũ, sed & quàm citò, quàm facilé, quàm potenter aliorum quoque medicamentorum facultatem imbibat. Equidem nihil tam durum aut solidum cuius substantiam sua tenuitate permeet atque peruadat: nulla tam altis sedibus virtus recondita quam ad se non pelliciat aut rapiat, demumque raptam, ac suis quasi visceribus conceptam in humana corpóra valenter ac beneficè transfundat. Rem si lubet exẽplis illustremus, quorum imitatione suo quisque marte & arbitrio plura experietur, & in vsum transferet. Vinum chalybeatum (hoc est in quo ardentem chalibẽ extinxeris) Scyrrho lienis, & obstructionibus remedio est; sudores reprimit, atque compescit, dentes firmat & gingiuas, renibus auxiliatur & venis, atque in vniuersum omnibus corporis articulis. Mira præstat vinum in quo limaturam chalybis vnica nocte infuderis; fœdos virginum colores, cùm cœtera nihil profuissent, integrè, plerumque persanauit. Nautæ excauatam colocynthidem vino implent, noctem integram macerari sinunt, mané perco-

lant, ebibunt, purgantur proſperrimo ſucceſſu. Anne vnquam Senna, Agaricus, Rhabarbarum (vulgaria profero ne quis emergat ſcrupulus) ventrem fœlicius ſubducunt aut facilius quàm ex vino? Teſtes appello Germanos, qui, non tam guſtus ſuauitate pellecti (quæ enim in purgante id genus vino ſaporis gratia?) quàm rationali experientia docti cathartica propinant vino ſoluta, vel infuſa; Quem morem ab experientiſſimis inter Arabas acceperũt; quibus nihil olim in praxi familiarius quàm pharmaca vino diluere, tum quò naturę magis familiaria redderentur & amica, tum quò maiore vi & efficacia ſubirent longiùs diſſitos quarumcunque partium receſſus. Neque verò ſolùm in catharticis, ſed in cœteris quoque præparandis propomatis hæc conſuetudo inualuit, maximè cùm nullus obſtat febrilis ardoris metus. Imò nec in propomatis duntaxat, ſed etiam in internis, externiſque omnis generis ac conſiſtentiæ medicamentis. Noſtrum intentum cumulatè probat veteris Andromachi Theriace, probat hæc ipſa vini cuman-

tidotis miſcellæ apud Græcos antiqui-tatem. Dies me deficiat(vt paucis com-plectar omnia) ſi apozemata, ſyrupos, infuſiones, ſi electuaria ſolida aut li-quida, ſi pilulas, vnguenta, ſuffumigia, Embrochas, Epithemata, Anacolema-ta, ſi quæcunque alia id genus nume-rando percēſeam, quæ aut minus com-modè ac vtiliter imperari; aut parum fideliter adminiſtrari abſque vino poſ-ſunt. Addo quod præſentis inſtituti li-mites prætergreditur accuratior horũ diſquiſitio, ex laudabili vini vſu viam nobis in abusũ præmunire eſt anim⁹: ex laudatis quos ille parit effectibus, in prauos ac planè exitiales affectus qui ab illo oriuntur. De his antequam in-ſtituatur oratio, quo contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcant, liceat ex ma-iorum noſtrorum auctoritate & moni-mentis compendio adumbare affectus illos quibus vini vſus præſtare opem conſueuit.

QVIBVSNAM AFFECTIBVS præſidio ſit Vinum.

CAPVT V.

QVi de vini facultatibus pertractãt paucos omninò affectus reperiũt, in quibus vſus aliquis illius eſſe non poſſit: illud in primis pro alexiterio potentiſſimo iactitant, plurima venena proferunt, eaque valida & prorſus deleteria, quorum aciem retundit ac infringit. Hæc inter cætera, venenatos fungos, Cicutam, Aconitũ, Coriandrum, Pſoricum, Ixiam, Opium, Argenti ſpumam, Mercurium. Nec minorem vim ipſi tribuunt contra Scorpionum punctiones, Crabronum, Phalangiorum: contra ſerpentum morſus, quales Præſteres, & hæmorrhoides à Græcis appellati: Denique aduerſus venena omnia quæ vel refrigerando necant, vel erodendo. Neque verò ſolis venenatis affectibus bellum indicit, reliquos aſpernatur, validiores, lenioréſque promiſcue adoritur, hos ne excreſcant aut

expullulent, illos ne grauius afficiant, aut interimant: vtrosque vt coniuratos naturæ hostes, qua cum firmissimum iurauit fœdus vitæ prorogandæ, curandæ valetudinis, contrarijque depellendi. Sed neque expectationem euentus fallit aut datam fidem. Norunt rei Medicæ periti quantum ad longas inflationes faciat, erosionésq; præcordiorum, ad inueteratas tusses, ad spirandi difficultatem, ad diaphragmatis reliquarúmque partium discutiendos flatus, ad fluxiones quæ in ventrem ac intestina depluunt, ad alui fluxus, vomitiones, dysenterias, dolores colicos, & tormina, siue ab humoribus aliunde irruentibus, siue à congestis succis crudioribus originem traxerint. Sinistro lateri admotum ex spongia, vel panno cocco infecto, vel alio vt lubet, cor imbecillum recreat, pulsum languentem excitat, vitale robur auget, ac in omnia membra diffundit: lac in ventriculo coagulatum dissoluit, vesicæ pruritus lenit, inflammationes attemperat, vlcera sordida terget atque expurgat, maligna corrigit, depascentia reprimit,

caua implet laudata carne, demumque cicatrice obducit. Quid plura? internis externiſque affectibus propè dixerim omnibus ſuccurrit: Iure itaque manum Dei vinum appellaris (quam appellationem toti in vniuerſum Medicinæ tribuebat Herophilus) maximè cùm illius robur indomitum, & omnia domans Deorum robori æquipararit Aſclepiades. Quam ob cauſam Bacchum antiqui Deum ſanum & ſalutarem oraculi decreto nominarunt. Hactenus tot tantiſque laudibus lectorẽ video amore vini mirificè incenſum, certam ſibi ab eius potione ſalutem polliceri, verum tantiſper ſe ſe contineat, mox intelliget, ne illius quidem vſum ab omni periculo prorſus immunem.

MAGNAM IN VINO ILLEcebram eſſe ad ebrietatem.

CAPVT VI.

FIrmiſſima ex præcedentibus capitibus elici poteſt iſta concluſio, vinum ex omni alimentorum penu eſſe

lectissimum, inter potulenta suauissimum, inter liquores omnes pretiosissimũ, inter medicamenta saluberrimum. Verum proh dolor! Nihil aut tãta comparatum industria, aut tam liberaliter & magnificé à natura in humanos vsus collatũ, aut tam perfecté elaboratum, tam salutare & inculpatum, quod in abusum trahi non possit, suoque periculo careat, aut metu. Prudentissimum equidem naturæ solertissimæ inuẽtum, tum quò nos in officio cohibeat, tum quò tacita hac quasi cohortatione admoniti quàm parum vel à tutissimis tuti, quàm ab iis quæ maximè è re nostra sunt, imò & planè necessaria grauiter plerumque offensi, in perpetuis stemus excubiis ne quam offensionem nostra incuria patiamur. Vere` dictum à sapientibus diuerso gaudere naturam mutuaque contrariorum oppositione colluctationeq; delectari, in vno ac eodem subiecto luctus & gaudia, bellum pacẽque prosperam aduersamque valetudinem, vitam ac interitũ collocasse, non tantùm vt vim suam solertiamque proderet, quãtùm vt emicaret in nobis euidentius

dentius liberæ rationis delectus. Cætera quidem animantia naturà feruntur non tam ductà quàm coactà, impulsu magis quàm instinctu: homini natura dux, volūtas magistra, illa inclinat, hæc imperat; illa mouet, hæc promouet: illa dirigit, hæc rapit. Bruta quo magis in naturam minus sunt in errorem prona. Nos vt longius & frequentius à naturæ tramite deflectimus, longe quàm illa grauius labimur & frequentius, ac veluti consultò ruimus, imò conspiramus in propriam ruinam. Vinum quidem in se suaq; natura humanæ naturæ amicissimum & saluberrimum, nostro errore & culpa ingratissimū ac infensissimū euadit, videtur itaque mihi prorsus quod plantis terra genitis accidit, idem contingere hominum corporibus (inquit apud Platonem Socrates) illas si Deus affatim nimis perfundat, neque erigi possunt, neque auris vitalibus perflari: cùm vero quantum expetunt tantum biberint, rectæ proceræque plurimum attolluntur, & in vegetis largiores tandem fructus proueniunt. Sic & nos immodico potu si obruamur statim

labat falliturque & corporis vis & mẽtis, nec reſpirare, nedum oratione quicquam explicare poſſumus. Quã ob cauſam vitæ mortiſque fomitem iure in alimentis conſtituebat Solon, Homeri ſententiam ſequutus qui deos, quod à pane & vino abſtineant, morti minimè obnoxios eſſe affirmauit.

οὐ γὰρ (inquit) σῖτον ἔδουσ᾽ οὐ πίνουσ᾽ αἴθοπα οἶνον,
τοὔνεκ᾽ ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται. (Iliad. ε.

Non panem comedunt, non vina ardentia potant,
Sunt ideò exãgues, immortaleſq; vocãtur.

Mortis quidem materies in ipſa alimentorum materia eſt poſita, in ſubſtãtia, in qualitatibus, at in redundantia maximè & exceſſu. Experientia namque compertum eſt quod & prouerbio locum dedit plures conficere gulam quàm gladium: quamobrem ſapiẽtiſſimè monebat is ipſe apud Xenophõtem Socrates, ab iis cautè abſtinẽdum quæ vel fame deſtitutos ad eſum incitarent, vel nonſitiẽtes ad potum, id genus cum cibis tum potionibꝰ Circes ineſcare ne-

luones solita; demum saginatos in lutulentos sues transformabat. An verò hoc in genere potulentũ vllum accommodatius excogitari potest? Quid vino auidius expetitur? Quid suauius gustatur? Quid facilius deglutitur? Quid à vẽtriculo liberius admittitur? Quid vndequaque promptius per omnia membra transfunditur? Equidem quodcumque recedit à moderationis lege suopte motu natura perhorrescit, repletionem omnem tanquam sibi infestissimã auersatur: si quando tamen cum voluptate coniuncta est (vt facilis earum rerum consuetudo quæ sunt voluptatis) ex arbitrio nostro proficiscitur, in eam sũma contentione deuoluimur, eoque tandem progreditur sensuum illecebris delinitus animus atque deprauatus, vt in quo summa miseria, summã reputet fœlicitatem. Ab hac radice pendet exitialis corporum ac animorum pestis ebrietas, ab ebrietate mox pullulat ebriositas. De vtraq; agem⁹: de ebrietatis essentia primùm, cum quibus blãditiis, natos abdomini Epicureos ipsa demulceat, quib⁹ insidiis adoriatur incautos,

quosque effectus proferat aperiemus; hinc orta occasione aliquot capita ebriositati dabimus, demumque ad ebrietatē reuersi, eius præseruationem curationemque proponemus. Adesto animis, Lector candide, neque falsa vlla sensuū persuasione vel ab ea quam profitemur doctrina, vel à propriæ rationis imperio te subtrahe. Nunc ad rem ducto ab eius nomine exordio.

DE ORIGINE, SIGNIFICAtione, & differentia horum verborum Ebrius, Ebriosus: Ebrietas, Ebriositas.

CAPVT. VII.

QVanquam interpretis vices gerimus, gallicarumque dictionum longe aliâ quam latinarum assignanda videtur notatio, vt alius est sonus [non enim parum inter se sono discrepant *Yure*, & *Ebrius*: *Yurongne*, & *Ebriosus*: Item *Yuresse*, *Ebrietas*: *Yurongnerie*, & *Ebriositas*] adde prætereà multa ad gallicas voces accedere à quibus illarum

Ethymon non inepte forte deprõpseris, quædam etiam ab auctore cui incumbimus proponi, quæ latinis non nisi ridicule accommodaris. Præsens nihilominus caput minime prætereundum duximus, tum quò doctrinæ à doctore methodi studiosissimo propositus seruaretur ordo; tum quod multa contineat, quæ & in latina transferri cõmode, & legi vtiliter possunt. Nonnulla hîc inserere cogemur, non ad ornatum & gratiam vt solemus, sed ad necessitatem: Quãquam vtrobique fortasse præter exacti interpretis munus, at non præter auctoris nutum, non etiam credo, præter lectoris vtilitatem & veniam.

Græcarũ literarũ studio addicti inter doctos haud vulgares latinarũ in plerisque ab illis originem petunt, maxime cùm certissimum sit priscos latinos linguæ suæ ditãdę atque excolẽdæ cupidissimos plurima à Gręcis mutuatos fuisse, non pauca prorsus immutata, plura solo mutata accentu, vel terminatione, vel elementorum metastasi accepisse. Ebrij nomẽ inter cætera græcum esse volunt,

nempe vt à quibus tractimores, ab iisdem trahatur & nomen. Ebrii cum mores tum nomen Græca dictione ὕβρις optime' putant exprimi. Nomen quidem vt pote cùm ambo literarum consonantia non multum inter se dissentiant. Mores, quoniam in petulantiam, in iniurias, in conuicia, in cōtumeliam proni feruntur ebrii: quæ omnia dictione græca significantur.

Verum longius aliquantò petita quibusdam videtur ista notatio. Nam si dictionē spectemus neque aspirationem præfert latina vt græca, neque admodum familiaris est literę v. in e. latinum commutatio: vt vt sit de voce, nullam potiorem assignari rationem posse dicūt cur ebrietati potius eius applicetur significatio quàm aliis plerisque vitiis quorum iidem plane' effectus. Sed hi vtrique reprehensione fortasse digni; illi vt nimis creduli & parum diligētes indagatores in tanto verborum magisque proprio & cōueniente delectu, isti, vt in re pauci momenti nimium exacti, eò magis quod in notationibus perquirendis non tam ratio quàm auctoris vo-

luntas pro lege ſtatuenda eſt.

Alij à verbo βρίζω deduci malunt, quod eſt præ grauedine cibi vel potus dormito, vti ſolent ebrij.

Quibuſdam placet vt à βρύλλω potius ducatur, quod inebriari ſignificat, Itaut vndequaque ſonus acceptioque mutuò reſpondeant: Nam βρύλλειν, ὑποπίνειν, μεθύειν pro ſynonimis vſurpant auctores ac interpretes.

Sunt qui origine Latinum eſſe contendant & ab antiquo nomine Bria natum, quod Amphoram ſignificat, quaſi dicant e' Bria corpora fieri ebria. Sed quæcunque tandem deriuatio adſtruatur noſtra parum intereſt, Grammaticorum arbitrio litem dirimendam ſubmittimus, modò illud intelligant Ebriũ, Ebrioſum, Ebrietatem, Ebrioſitatem, eſſe coniugata, vtpote' quæ varie' commutata vnum eundemq; ortum agnoſcunt. Grauius tamen in his inter ſe diſtinguẽdis implicatur nodus, quem diſſoluere altioris eſt diſciplinæ, Nõ enim differre inuicem ſignificatione videntur Ebrius, & Ebrioſus, ſed voce ſola. Nam quemadmodum *Yure* & *Yuron-*

gne, quę idẽ quod iſta ſonat apud Gallos, vnicum habẽt Antithetõ nempe *ſobre*, hoc eſt ſobriũ: ita certũ eſt ſobrioſi vocabulũ quod ebrioſo opponitur, apud latiniores rarò inueniri pro quo ſatisfacit ſobrius. Si ergo ſobrietatis vox ſe ſola ſufficit affectioni ſiue paſſioni exprimẽdę cui duplicẽ intẽtionẽ vulgo tribuunt actui & habitui reſpondentem ſequetur pari ratione pro Ebrioſo, Ebrium, pro ebrioſitate Ebrietatem dicere licere, vnumque pro altero reciprocè vſurpare, ne vni duo contraria opponantur, quod eſt in Philoſophia inauditum.

Vt hìc tollatur ſcrupulus, notandum eſt plures eſſe res quàm verba, ideò plerumque laborare nos penuria verborum. Iſtud in exprimẽdis actibus atque habitibus præ cęteris eſt frequens, quorum vtrumque vna eademque dictione vt plurimum denotatur; liberalẽ enim & prodigum vocamus, non eum modò qui habitum contraxit, ſed & qui liberalitatis aut prodigalitatis actum exercet; deeſt quippe propria dictio quâ habitum ab actu ſecernas. Hunc loquendi morem ſequuti Oratores tam de ver-

bis, quàm Philoſophi de rebus ſollici-
ti, ſolum ſobrietatis nomẽ retinuerunt,
ſobrioſitatis, tanquam rudis, aſperi &
male'ſonantis ſuis è ſcholis & ſuggeſtis
ablegarunt: non quod ſignificari ab
vtriſque res eaſdem putarent, ſed quia
non ita terſe'ac polite'. Nobis loqui lu-
bet potius quàm Philoſophari barba-
re', inuſitate', potius quàm indiſtincte'.
Ebrioſi certe'vocem haud reijcimus, (à
qua non modo Plinius, ſed ne Tullius
quidem ipſe latinitatis parens abhor-
ruit, vti neque ab Ebrioſitatis voce) ne
actum cum habitu Ebrij verbo confun-
dentes, (quod in omni doctrina turpiſſi-
mum eſt, dum facere aliter licet) obſcu-
ritatem pariat confuſio. Ebrius itaque
(vt iuniores intelligant) is eſt qui ni-
miam vini aut alterius id genus potio-
nis quantitatem abſorpſit, vnde conſe-
quitur rationis, imaginationis, memo-
riæ cæterarumque functionum anima-
lium aut omnium, aut plurimarum im-
minutio, deprauatio, vel corruptio.
Ebrioſus qui crapulæ eſt addictus, &
vino frequenter capi ſolet. Ebrietas de
paſſione dicitur, à qua denominatur is

qui actu vino ſopitus eſt. Ebrioſitas habitum deſignat. Differunt ergo ebrius, & ebrioſus (vt cæteras differentias hoc loco prætermittamus, quas curioſius & altius rimãtur Philoſophi) quod ebrius is appelletur ſolùm qui vino captus eſt: Ebrioſus talis perpetuò nominetur, ſeu madidus ſit, aut ſiccus. Actus vnicus denominat ebrium; Ebrioſum, non niſi actus iterati. Ebrius corpore maximè, ſed animo potiſſimum afficitur & efficitur ebrioſus. Non ſi ebrius quiſpiam iure idcirco putetur ebrioſus: Sed ebrioſus nemo qui ebrius ante non fuerit. Vitio plerumque caret ebrius, ebrioſus nunquam: Is enim labitur quandoque præter mentem ac inopinatò, hic non niſi maturo (aut immaturo potius) conſilio deliberato animo, ac praua conſuetudine. His præcipuas nominis vtriuſquè differentias videmur complexi, eſſentiam indagemus, ac primùm de Brutorum animantium ebrietate diſputemus.

DE BRVTORVM ANIMANtium Ebrietate.

CAPVT VIII.

AD perfectam & legitimam rei cuiuscunque tractationem in id præ cæteris incumbẽdum monet Aristoteles vt omnem quantum fieri potest scrupulum eximamus, æquiuoca & ambigua distinguam⁹, explicemus; singulas pertractandæ rei differentias curiosè ac fideliter expendamus, à minimis & remotissimis progressi ad immediatas & proximas, vt omni tandem errore sublato, id planè quod in disceptationem cadit videre possimus. Tãti Philosophi monitu persuasi, ne qua ex varia Ebrietatis acceptione oriretur difficultas, præsens sequẽsque caput nostræ disputationi inseruimus, quo intelligeret studiosus Lector varias affectiones vulgò, nec præter rationem, ebrietatis nomine donari, quæ in animantia cadunt rationis expertia, quas sigillatim & diserte oratione prosequi non est

præsẽtis instituti. In ea versamur solùm quæ peculiariter hominum est propria & à largiore potatione proficiscitur, seu vini, seu alterius cuiusuis potulenti quod pro alimonia esse possit.

Non defuturos tamen arbitror qui brutorum animantium ebrietatem non admittent, quosdam etiam futuros qui eam non minus extraneam putẽt quàm Apulei Belluam quæ præter cęterorum asinorum naturam & morem condimẽtis acidis, farciminib⁹, vinis generosis, atque omnis generis gulæ irritamentis plurimum delectabatur, summa omnium qui vel oculati testes, vel ad quos fama peruenerat, admiratione. Et sane, quis verisimile credat (inquient) vt eam affectionem bruta incurrant, à qua alienissima illa potio quâ familiariter vti solent, ex naturæ suæ communi præscripto? Non enim vel vinum gustant, vel potulentum vllum parem cum vino facultatem sortitum. Imo verò si ad eiusmodi potionem natura incitarentur, non iam optima brutorum vt cæterarum rerum parẽs natura, sed nouerca potiùs esset appellanda, vt quæ appeti-

tum illis ſuæ valetudini cõtrarium, prò lege, rectáque viuẽdi normà indidiſſet paraſſetque pro obſonio venenum in quod ſponte nullo rectore, cœco impetu deuoluerentur. At demus prona illa eſſe in ebrietatem, mox ſequetur eſſe & ebrioſa; nempè ex frequentatis actibus inducitur habitus. Dato hoc abſurdo cùm in vitiorum genere collocandus ſit eiuſmodi habitus, admittendum erit cadere virtutem & vitium in animalia rationis expertia, quod eſt præter omnem rationem. Age verò ſi (quod experientia quotidiana compertum eſt) ſua in mentis arcem ſpicula directè contorquet ebrietas, mentem ipſam præ cæteris facultatibus maximè obſidet, inuadit, ferit, rationis vſum labefactat & extinguit; equidem quæcunque ratione ſunt deſtituta, tuta ab ebrietate ſunt æſtimanda. Concludendum itaq; neceſſariò eſt, vel agnoſcendam in brutis rationem, vel ſi hanc excludis, excludendam pariter ebrietatem. Quæcunque ſymptomata ebrietati ſimilia reperiuntur in illis, vocentur alijs vt lubet, nos ſoporis, aut ſtuporis,

vel perturbationis, aut cuiuslibet alterius affectionis nomine donabimus. Verum his qui ita sentiunt modò mihi tantillum otij permittant, neque falsa persuasione ante præueniri se sinant: quàm sibi responderi, certò me ac euidenter contrarium demonstraturum polliceor. Certò, inquam, ac euidenter: quid enim experientia certius? quid αὐτοψία manifestius.

Et primũ quidẽ oblectari vini potione: bestias, de aliquib⁹ imò & de plurib⁹ fortasse, at de oĩbus in genere dubitari minimè potest. Vini inquã, addo & aliorũ propomatũ, quib⁹ sũma vis inest ebrietatem inducendi: si qui fidem negent inexperti, gallum historicum consulãt probatum & fidelem; Narrat is habuisse se in Monteleriana pugna equum longo labore & senio confectum qui integro vini cado, quem fortè fortuna offendit, funditùs exhausto, vires quàm antea valentiores, & animos resumpsit ad quæque subeunda paratiores. Liceat quæso mihi proprium experimentum hìc attexere in eorum gratiam qui rei veterinariæ sunt ignari. Vidi ego Man-

gones quosdã Germanos (quales apud nos frequentes) vinum equis suis generosissimũ liberalissime offerẽtes, equos pari illud delectatione haurientes ac mangones solent pari itidem successu: quippe mox alacriores euadebant, & prõptiores, ac magis animosi, quãdoq; etiam ebrij, addo & furiosi. Vetus hæc à priscis Romanorum temporibus ducta consuetudo, si Plinio credimus, à quo etiam annotatum (ne quis vini potum solis equis familiarẽ æstimet) mulas si vinum biberint non calcitrare, ac prætereà quadrupedes quibus fissi pedes cum vino assueuerint, nunquam crescere. Scriptum in Iosepho reperimus Ptolomæũ cognomento Phisconem Iudæos omnes quotquot suæ ditioni suberant comprehensos, & arctè deuinctos suis Elephantibus nudos exponendos; Elephantes, quo sæuirent atrociùs, inebriãdos iussisse. Bruta ergò animantia vini capiuntur suauitate & sapore, quidni & vapore? A suauitate delectatio, à delectatione, excessus, ab excessu, ebrietas. Quid enim sensuum illecebris, quæ pro regula sunt brutis,

modum præfiniat? Quid ebrietatem impediat si modus absit? Nil igitur mirum si bestiarum maximam & fortissimam grauiter à vino percelli & furiose circumagi concitarique audiuimus, si Viperas, Dipsades, venefica prorsus animalcula, eiusdem liquore inescari, demergi, obrui. Si versutissimas Simias eius blanditiis delinitas, venatorum, imò vini potius insidias non effugere: cuius robore quantumuis feroces, ac indomitos Leopardos edomant, & deprædantur Africani, quorum istud inuentum ex Oppiano. Fontes ad quos sitis explendæ gratia solent Leopardi accurrere, vino copioso perfundunt atque inficiunt, huius potione excitantur ferini spiritus primùm ad alacritatem & ad mutuam collusionem, mox alto sopore sensim euicti concidunt, ceduntque sopitæ feræ venatoribus in prædam.

Etsi verò cùm vinum, tum alios quoscunque liquores in quibus ebrietatis fomes, auersarētur bestiæ, externorum quorundam vaporum incursum non effugerent, non etiam solidiorum corpo-

rum

rum quæ auidé intrò ſumunt, à quibus hæc affectio potenter inducitur, quot quanque varias eſcas conficiunt piſcatores vino hac in parte longè potentiores? Illarum vim ac maleficum virus ne larga quidem fluuiorum permiſtio eluit & attẽperat, huius quantumcunque robur modica aquæ perfuſio diluit & infringit. Norunt piſcatores, imò ne lippis quidem & tonſoribus incognitum, quanta baccarum Orientalium ſit vis in rem piſcatoriam. Memini me videre maximam piſcium copiam ſumma vnda ſtupefactis ſenſibus innatantium quos ligni quercini recens execti, ac in riuulum deuoluti odor infecerat. Scriptum reliquit Ariſtoteles grauiter ab vnguentis aliiſque odoratis apes affici ac inebriari. Si quæ id genus odoribus imbutæ, illas ſociæ non ferunt, extra aluearia compellunt, ne communione ſerpat & redundet in reliquas offenſio. Quis neſcit vinaceorũ eſu inebriari ſues, ac illius etiam herbæ quæ ideò fortè ab eorum nomine nomen accepit ὑοσκύαμον Græci vocant? Idem à Cicuta patiuntur Aſini, ſi expertis pro-

batíſque Medicis fides eſt. Idem ab Oenutho (quam alij Oenotheram, & recentiorũ Rododaphnem eſſe volunt) canes & corui, ſi Athenæo: illa proinde familiaris aucupibus ad aucupium cornorum. Mira fortaſſe quibuſdam iſta videbuntur, mihi longe mirandum magis quod ſolo radicis Aconiti contactu torpeſcant, concidantque ſemimortui Scorpiones. Odore Maioranæ offendantur & in morbos præcipites ferantur ſues. Vnde Prouerbio locus: Nil amaraco cum ſue. Odore item Dictamni venenata animantia fugentur, eiuſdem appenſu & geſtatione enecantur. Quis ergo miretur ſi hæc ipſa, cæteráque animãtia leuiores quoſdam affectus, qualis ebrietas, eſu potuque incurrunt, vel inſpiratu? Quorſum quæ à vino brutis inferuntur affectiones ad aliud quàm quæ hominibus genus pertinebunt? ſi eadem cauſa efficiens, eadem accidentia, eadem affecta pars, eædémque facultates? Quid eſt quod illa æquius quàm nos ipſi naturam hoc nomine in iudicium vocent vel tanquam ſui oblitam, vel vt malè erga ſe

affectam, vt quæ delectationem quasi stimulum indiderit, ad veneficas id genus potiones? Non sola qualitate illos effectus pariunt potulenta, nisi quantitate pariter excedant: non enim Mandragora,non Cicuta, non Papauer quæ alioqui præsentem corpori afferre perniciem apta sunt detrimẽtum vllum attulerint si exigua admodum quantitate offerantur: idem de esculentis & longè potiori iure æstimandum. Cùm ergo cibi modum fame natura definierit, potionis siti, à natura ipsa recedit, quisquis à naturæ terminis. Non igitur naturæ prouidentia sed ferina præter naturam brutorum vt hominum intemperantia accusanda. Perperam verò infertur ebriosum fore brutorum genus, si ebriatum illud admittamus, si ebriosum etiam ex consequenti virtutis ac vitij, vno verbo rationis capax. Oritur enim in brutis, siue à natura, siue ex assuetudine quædam ad quoscunque actus siue habitus propensio: cui communi loquendi more virtutis aut vitij nomen tribuimus, licet propriè loquẽdo, quoniam neque à cognitione pro-

ficiſcũtur, neque à libero delectu, neutrius appellationem iure obtineant. Sed hic clarioris doctrinæ gratia monitum velim ſtudioſum lectorem ebrietatis nomen generalius nonnunquam accipi pro quacunque cerebri perturbatione, ſiue alteratione orta à vaporibus interiùs vel exteriùs occurſantium quorumcunque corporum, vel aſſumptorum: qui vt ſupremam ſenſuum arcem ſubeunt, illicò ad tempus, aut omnes, aut præcipuas functiones interturbant, vitiãt, atque peruertunt. Preſſiùs quandoque ſumitur & diſtinctiùs pro ea tantùm paſſione quæ à vino aut potulentis alimentis cuicunque animantium generi excitatur. Strictiſſimè pro ea quæ ab his ipſis cauſis, vnàque mentem cum ſenſibus obſidet ac ſolius hominis eſt propria: Solius, inquam, hominis, in quem ſolùm inter animata cadit ratio, cadunt cum ratione boni maliq; ſcientia & delectus, cum vtroque virtutes & vitia, cum his denique merita & demerita. Reliquæ ebrietatis ſpecies homini ſunt cum cœteris animantibus communes, de quibus nobis in præſenti ſermo

fuit. De poſtrema erit in ſequentibus, ſolum enim hominem noſtra ſpectabit oratio, vt noſtro tandem cõſilio, ſi non propriæ rationis vſu, non ſenſu, non ipſo naturæ ductu, à tam peſtifera corporis animíque lue perterritus auocetur. Et quoniam tela præuiſa minus feriunt, quò ebrietatis aciem faciliori negotio infringamus, quibuſnam illa nos adoriatur mediis, quas inſidias ſtruat, quibus artibus clam palámque ſe ſe inſinuet aperiamus.

QVIBVS MEDIIS EBRIETAtem incurramus.

CAPVT IX.

VAnum omninò ac inutile illorum inuẽtum qui gulæ explẽdæ gratia tot tamque multiplices variarum potionum apparatus, quibus ebrietas inducitur, tam accurata induſtria excogitarunt. Ac eò tandem ſunt progreſſi vt aquam, in qua ſummũ à natura ad præcauendam arcendamque ebrietatẽ præſidium: ad eandem procurandam red-

diderint varia permiſtione, confuſioneque non parum efficacem. Bacchum recens natum delapſum in ignem fabulãtur Poëtę, mox à Nymphis exceptum, Lymphis aſperſum lotumque, non tantùm vt contractam à cineribus ſpurcitiem eluerent, quantùm vt conceptum ab ignibus feruorem frigida vndarum aſpergine temperarent: quo commento vini vapores, æſtuſque aquâ reprimendos atque compeſcendos eſſe ſignificarunt. Nos verò hanc ipſam in contrarium vſum ac verè peſtilentem abuſum trahimus. Vanum inquam, at deplorandum fortaſſe inuẽtum in tanta aliorum copia quibus ad hæc ipſa vis à natura indita haud inferiora. Natura certè præter modum hac in parte profuſa, tot tãque varia ſuo velut è ſinu deprompta blãdimenti ſpecie incautis homuncionibus obtruſerat, quibus, ni cautiùs vterentur pateret vndequaque per omnes ſenſus ebrietati aditus in cerebrum, vt hominem effinxiſſe ſibi in riſum videatur, ac in deriſum. Diuagemur ſi lubet aliquantulum per apertos campos, obuias vltrò citróque ſtirpes mentis acie

perluſtremus, quaſdam offendem' quæ per os ac fauces, alias quæ per nares, nonnullas etiam (dictu mirabile) quæ per aures ſibi ad cerebrum viam parēt, externos internoſque ſenſus protinùs obtundant, motus omnes intercipiant aut peruertant: facultates principes labefactent ac funditus euertant. Scribit Heredotus apud Maſſagetas naſci arborem quę tantę virtutis fructum profert, vt exigua eius coniecta in focum portio aſſidentes omnes vini more inebriet; Et quô maior eiuſdem inijcitur in ignem quantitas, eò magis augeatur aſſiſtentium ebrietas; Dum tandem in cantiones & choreas prorumpāt. Iſtud nun multum à fide alienum videbitur iis qui Nicotianæ virtutem non ignorarint, cuius fumus per palatum & nares tubo exceptus eundem prope effectum Indiæ Occidentalis ſacerdotibus exerit. In æſtuarij fornacem coniecta Lolij grana tetro vapore dolorem grauitatemque capitis, ſcotomiã, aliaque id genus ebrietatis ſymptomata iis concitant qui lauantur aut ſudant. Annua experiētia cōprobatum eſt muſtum

& vinacea, maximè ſi cella vinaria protinus antequam deferbuerint debita quantitate occludantur, non minùs quàm vinum ipſum liberaliùs ingeſtum caput opplere, imò neque hauſtu ſolo vinum cerebrum ferit, ſed & per nares inſpiratu. Teſtes appello Pholum cæteroſque Centauros: is hoſpiti Herculi defoſſum ante quatuor progenies vini dolium reſeruauit, cuius odor, tum vetuſtate vini, tum virtute validiſſim⁹, ad propinquos Centauros delatus ebrios illos reddidit. Quid verò mirũ quod excepta naribus exhalatio ſenſus mentemque commoueat, imò & mortis imaginem obtrudat, cum repentè nõnunquam interimat? Scriptum in Rhaſi cõperio venenatos quoſdã fungos odore ſolo conficere. Recens accenſæ prunæ cõclaui obſerato caput primum aggrauant & premunt, mox opprimunt. Hæc Iouiniano Imperatori (vt innumeros taceam) mortis cauſa. Infecta quædam ligna virus effumant non minùs mortiferum ac lethale. Franciſcus Ordelaſus venenum habuiſſe narratur ita potens, vt eius exigua portio in ardentes pru-

nas

nas cõiecta immedicabilem afferret adſtantibus ruinam. De veneficis, floribus, facibus, ſertis, varia exempla proferunt hiſtoriæ modernæ, an quiſquam eſt ad quem vocati canis antri fama non perſuaſerit? Antrum eſt exiguum quinque circiter pedum longitudine, trium latitudine, non procul Puteolano ex quo malignus effertur vapor natiuo calori vſque adeò infenſus atque exitialis, vt tantillo tempore detenta illic animalia concidant omni ſenſu motuque ſic penitus deſtituta, nullum vt vitæ indicium præ ſe ferant. Vnicum in vicino lacu præſidiũ, in quem vt immerguntur non multò poſt ad ſe redeunt, & ad omnia vitæ munia. Canis antrum ideò vocant, quod in canibus vulgò fieri ſoleat experimentum, non quod in cætera quoque animantia (ſi experiare) par non redundet offenſio: Ad cuius firmiorem fidem in aſino quondam periculum fecit Carolus Nonus, Galliarum Rex Chriſtianiſſim⁹. Alij in aliis beſtiis, nonnulli etiam in Mancipiis & captiuis eodem quo in canibus euentu. Et hæc circa vapores quibus per nares patulus

in cerebrum ductus.

Parem cum vino turbandi concitandique cerebri facultatem agnoſcit Plinius in oleo è ſemine Hyoſcyami expreſſo ſi auribus inſtilletur.

Quorſum verò in his ſigillatim & curiosè verſamur, quæ plurimis fortaſſe videri poterũt à noſtro inſtituto aliena? Ad aſſumpta veniamus quorum vis hac in parte maior, maiorque copia. Sũt qui Thus, Meliſſam, Anacardos inter ea recenſeant quæ mentem feriunt ſi frequentius vtare. Thalaſſegles herbã (quæ circa fluuium Indum frequẽs ob id alio nomine Potamantis appellatur) ſi deuoretur sẽſus animumque grauiter percellere, ac prætereà horrenda quædam ſpectra obiicere narrat Democrit⁹. Fructus quidam eſt apud Orientales nuci moſcatæ haud valdè abſimilis, niſi quod aliquantò minor, Fauſel ſiue Arecam vocat Garcias ab horto, is ſi præmaturus deuoretur inebriat, ac ſtupefacit quam ob causã ab expertis pro Narcotico aduerſus tormẽta vſurpatur. Facetum eſt quod de Daturæ flore memorat idem Garcias, in eo quem de In-

diæ Orientalis simplicibus edidit libello: floris (inquit] puluerem cibis permiscent fures Indiani quotquot miscellam gustarint in cachinnos protinus erumpunt, extra se feruntur & ad ineptias: horas viginti quatuor perseuerat hic status, omnia tum alacritatis plena, nullus obsessos, nullus obsidentes metus occupat, tuta vtrinque videntur omnia, dum fiscellas, arcas, minutissimos quosque angulos liberi quaquauersum peruadunt fures, æraria exhauriunt, obuia quæque ac recondita diripiunt, auferunt nullo obsistente. Redeunt interim ad se se miselli mox patulas vndequaque fores vident, apertas fiscinas, apertam in arcis suam pauperiem & iacturam, mox insperati risus in desperatum luctum commutatio. Sunt qui eodem flore abutantur ad iocum non ad prædã. Quidam inter Turcas religiosi, quos Deruis vocant, si quando peregrè proficiscantur herbã sumunt Mathlach vernaculo Turcarum idiomate nuncupatam, cuius vehemẽti agitatione mox in furiam aguntur. Diram hanc maniam diuinam quendam Oestrum interpre-

tantur accolæ, furiosos istos venerantur vt numina, quos eò tandem agit rabies, vt collum sibi, lacertos, pectus, femora cruentis vulneribus immaniter dilacerent. Peculiare id quidē Turcis, at commune illis cum Persis aliisq; Orientalibus Opium, cuius vsu mœstitiam profugari autumāt, præteritorum malorum obliuionem induci, exhilarari animos, ac viriliter & furiosè in aduersas acies concitari. Et sanè quisquis eius pulueris dragmā absorpserit, humani præter externam formā nil retinet, belluarū instar atrociter efferatur. Sed quid externa commemoro? norunt experti quàm potenter ab Hyoscyami nostratis radice inuehatur ebrietas. Norunt etiam imperiti panē Lolij permistione æqualem vel generosissimo vino hac in parte facultatem adipisci. Dies me deficiat, aut lectoris studium, si solida omnia quæ ore excepta eosdem cum prædictis effectus promunt numerando percenseam: longè tamen à liquidis, si non robore, numero certè superantur. Talis fluuio Gallo qui Phrygiam alluit à natura vis insita qualis ferè vi-

no: ab vtroque ſi modus abſit, mens, ſenſuſque percelluntur. Idem præſtat fōs rubeus in Æthiopia. Prodidit Theopompus circa fluuium Vrganem aquam inueniri ſapore acidam, quæ perinde ac vinum temulentos facit. In Chio Inſula Vitruuius ait fontem ſcaturire qui confeſtim vt ebibitur, mentem à ſua ſede dimouet. De Lynceſtio flumine non abſimile profert Ouidi⁹ in Metamorphoſi.

Hinc fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis (inquit)
Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.

At irritus noſter hic labor, fruſtra remotiſſimos terrarum tractus perluſtramus, circum maria & flumina oberramus, alienas auctoritates in rem noſtram cōpilamus, eſt præ manibus quod inquirimus, profert id nobis cùm ars, tum natura copioſe ex vbere ſuo penu. An quæſo frequentior (ordinariam iure dixerim) ebrietas vlla eſt quàm quæ à liquidis & potulentis? Ad quorum ſenſum pertinent vinum, ceruiſia, hy-

dromeli, aliique sexcenti alimentares succi, quibus vulgò & familiariter vtimur, & inebriandi vocem virtutémque sic peculiariter deferimus, vt solidis corporibus non nisi metaphoricè ac impropriè videatur concedenda. Equidem sola quæ ab illis oritur affectio nomen ebrietatis meretur, quæ ab his non nisi affinitate quadam symptomatum, & affectarum partium communione. Si tamen ab his aut illis affectos, ebrios promiscue contendis appellandos, admiseris saltem non etiam dicendos promiscue ebriosos. Non enim quem sæpè vel hyoscyami radix, aut Lolium infecerit, aut Opium meritò ebriosum vocaris. Quamobrem liquidis duntaxat erit in proposito locus, quæ alterius sunt ordinis pręsens excludet tractatus. Et quemadmodum vino quàm cœteris maior illecebra, frequentior abusus, virtus potentior, erit hîc potior & locus. Nunc verò ante omnia id cuius gratia instituta oratio, veris coloribus depinguamus.

VARIÆ DESCRIPTIONES *Ebrietatis.*

CAPVT X.

VEre inquiebat Plutarch⁹ de ebrietate dubitari, quid & qualis ipsa sit: nam præterquamquod eius essentia perscrutatu non parum difficilis videtur, tot tamque variæ ac implicitæ à variis definitiones afferuntur, vt nouam potius dubitandi occasionem, quàm certam opinionem pariant: & ignorationis parentem confusionem crebrius quàm scientiam. Plerique omnes circa ebrietatis effectus occupantur, tam varij inter se quàm ipsi effectus. Seneca (vt ab eo turpissimæ affectionis descriptionem ordiar, à quo morum inculpatorum regula) voluntariã insaniam ebrietatem vocat, aut subitò irrepentem, promptéque euanescentem furorem. Cuius sententiæ adscribens Cato maior furorem voluntarium simpliciter nuncupat. Vtriusque mentem latius aliquantò explicat Plutarchus. In eundem

inquit, ordinem referuntur ira & furor, ſed communi ſemper ſede morantur furor & ebrietas, ac communi veluti nexu arctè colligantur: Imò verò ebrietas furor eſt, duratione quidem leuior, ſed origine grauior, vt potè quæ ex arbitrio noſtro proficiſcitur, quamque vix niſi volentes incurrimus. Inter Philoſophos non pauci (è quorum cenſu etiam Plutarchus) ebrietatem tumultuariam nominarunt, ſenſus viduam & rationis. Alij loquacitatem in cõuiuio, vel in compotatione deſipientiam, aut nugacitatem: & hanc ipſam in verbis ponunt varijs nugacibus, à re & recta mente alienis. Liberaliorem potum improbat nemo, ſed in ſermone exceſſum, petulantiam in moribus: quocirca ebrietas ipſorum calculo actionis, orationiſque immoderatione continetur. Sophocles ebrietatem ab alacritate definiuit curarum ac mœſtitię ſolutionem. Tantorum virorum calculo, vel experientia potiùs perſuaſus Diuus Gregorius, tres intemperantiæ filias agnoſcit, laſciuam ſcilicet ac petulantem hilaritatẽ, effrenem in verbis pro-

caciã, mentísq; ac intelligentiæ ſtuporẽ. Quidam alius Poëta non ignobilis malorum omnium Metropolim eandem nuncupat ex cõuenientibus & ordinariis in vniuerſum effectibus generaliorem, & conuenientiorem ebrietatis naturæ appellationem adinueniſſe ſe arbitratus. Plautus verò cũ titubantes videret ebrios,& vix pedibus hærẽtes,facetè ac ingenioſè, vti cœtera ſolet, ebrietatem depingit, cùm vinum doloſum luctatorem vocat, qui pedes captat primùm vt reliquum corpus promptius faciliúſque deiiciat. Sunt qui ebrietatem incocti vini cruditatẽ putent. Ecce quot capita, tot ſenſus, quot vini effectus, tot eius imagines expreſſæ, quæ externam ſolummodò faciem delineãt, idque imperfectè, nulla quæ intimius reconditam eſſentiam mentis oculis viſendam obiiciat, imò vel adumbret. Methodo hic opus pro Penicillo, opus laborioſo atque exactiore diſcurſu, pro artificioſa pictoris manu, quò integra & abſoluta ebrietatis effigies ad viuum exprimatur. Videamus ſi quid arte poſſumus, & quò tandem noſtra pertingat

induſtria. Læſas primùm actiones perquiramus, ab his quaſi manu ducemur ad partium facultatúmque notionem quarum ſunt læſæ actiones, demum ab vtriſque ad cauſæ lædentis naturam atque eſſentiam.

EBRIETATEM SINE FVNctionum animalium, non tamen, omnium læſione conſiſtere non poſſe.

CAPVT XI.

LÆſas eſſe in ebriacis functiones animales, ita manifeſtum eſt, ſic euidenter quotidiano ſenſuum experimento comprobatum, vt qui ſecùs ſentiat, aut ebrius æſtimetur, aut ſtupidus. In harum functionum læſiòne ſitam ebrietatem communi opinione ſic firmatum vt qui ſecùs ſentiat ab omnibus diſſentiat. Quamdiu enim mente conſtabit aliquis, quamdiu internis externiſque ſenſibus circa obiecta propria nullus obtinget error quamdiu ex voluntatis imperio & nutu ciebuntur

omnes eius corporis partes, nusquam ebrij nomine donandus erit, quantumuis prauè toto sit corpore constitutus, & reliquarum facultatum altera vel vtraque imminuta sit aut deiecta. Ad huius faciliorẽ intellectum si qui fortè minùs in Philosophicis medicisq; studiis versati, nostra perlegent, docendi tres vulgò medicorũ facultates corpus vniuersum gubernantes assignari, vitalem, naturalem, & animalẽ. Prima in medio Microcosmi solis instar emicat, & quaquauersum salutares viuifici caloris radios transfundit, vitales in hunc vsum spiritus procreat atque destinat, vitales, inquam, siue influentes, ab ea quam sustinent prouincia vocatos, nempe quod ab eorum influxu, natiui calidi conseruatio, vitæque tutela dependeat. Sequitur naturalis vitali sede ac dignitate inferior, non tamen necessitate: primas in hepate radices figit, illinc per venas quasi per tubos alimentitius succus in omne corpus liberaliter distribuitur. Tota in fluxilis ac euanidæ substantiæ reparatione versatur, totique animatorum generi

vim ſuam & conuenientem cuiuſque naturæ fomitem impertitur,quanquam diſpari in ſtirpibus & animantibus ratione, proinde ſingulis anima conſtātibus neceſſaria eſt & communis. Prior animalium dumtaxat propria, ſed nec omnium at perfectorum. Tertia ſupremum ſitus vt nobilitatis & excellētiæ gradum obtinet, infimum neceſſitatis: ſumma corporis, quò dominetur ac imperet, velut arcem occupat. Ab eius vberrimo fonte ternæ diductæ virtutes quaſi riuuli: principes nimirum, ſenſiles, & motrices: quarum binæ poſtremæ in animalibus omnibus, ſaltem in perfectiorib⁹: primę in ſolis hominibus adæquatè reperiuntur: nunc vnde in rudiorum gratiam digreſſi ſumus eó reflectantes orationem, dicimus vitalis naturaliſque facultatis offenſioni nuſquam ebrietatem imputari, ſed ſolius animalis.

Non hìc ſubſiſtendum tamen declaratione res indiget, neque enim quælibet animalium functionum læſio ebrietatis appellationem meretur: aliàs quid impedit quò minùs Phreneticum ebrij

nomine donemus, in quo deprauatam rationem videmus? Aut vertiginosum, in quo imaginationẽ? Aut tremulum ac titubantẽ senem in quo vitiatus est motus? Age igitur perscrutemur in quo præcipuè positum sit discrimen, & vnde petenda certior ebrietatis cõiectura. Obijciamus nobis exempli gratia vertigine affectum hominem cui ex imaginationis vitio circumferri omnia videtur; obiiciamus nobis si lubet altera ex parte ebriacos. Nunquid hos etiam afficit vertigo? Nunquid ex imaginationis hallucinatione? Quid ergo est quod horum affectum ebrietatem esse fateare, illius neges? An quia in istos quasi momento irrepit, neque diu perseuerat, cùm parùm alta & constanti radice firmetur? Idem in illo experiri licet, imò & inuasionem prõptiorem, & breuiorem moram, & debiliores causas. An potiùs quia in istis, ab elatis aliundè vaporibus, non ex cerebri Discrasia genitis, vertiginis origo? Eadem in illo frequens, sæpissimè vel ab Hypochõdriis, vel à venis aut aliundè expirans fumus, cerebrum probè constitutum vt subit,

agitur in girum, & circumquaque per illius ſinus voluitur & diſcurrit, vnde imaginaria ſequitur externorum obiectorum circumuolutio: Non etiam in diuerſam vaporum qualitatem diuerſitatis ratio detorquenda, nil enim prohibet quin vtroque caſu calidam humidamque intemperiem vapores ſortiantur. Vndenam tandem differentia ſpecifica depromenda? Non aliunde certe quàm ab efficiente, quod in ebrietate neceſſariò ſtatuendum eſt liquor ſiue potus alimentitius; in vertigine quæcũque interna externaue cauſa. Liquorẽ dixi, iam enim in præcedentibus ſolida ab hoc cẽſu obliterauimus. Addidi alimentitium: nam ſi quæ ex venenorum aut medicamentorum numero propomata functiones animales labefactant atque interturbant, diſpoſitionem prę ter naturam inuehũt, quæ morbi potiùs aut malignæ ac venenatæ infectionis, quàm ebrietatis tũ apud vulgares, cùm apud medicos appellationem retinet: non enim ſi epoto cicutæ ſucco actionum animalium læſionem exitialem percẽſit Socrates, ebrius è vinis exceſ-

fiſſe credendus eſt. Illud ergo ratum & fixum eſto, defixam ebrietatis ſedem in animalium functionum læſione quam alimentitia potio procrearit: faciamus nunc vlterius progreſſum & perquiramus breuibus ad quas potiſſimũ actiones huiuſmodi læſio pertineat, tum reliquum nihil erit, circa ebrietatis eſſentiam quod in diſceptationem cadat. Doceamus in primis.

IN ACTIONVM PRINCIpum læſione poſitam eſſe ebrietatem.

CAPVT XII.

ACtiones animales in tres genericas differentias partiti ſumus, in principes, ſenſitiuas, & motrices, ſingularum in præſentia ſuæ ſunt differentiæ particulares aſſignandæ quò intentum aſſequamur. Principes ſubdiuidimus in rationem, memoriam, & imagitionem. Quinque externos ſenſus ad ſenſitiuas referimus: motus quoſcumque voluntarios ad motrices. Subdiui-

ſiones iſtas Philoſophi fortè vix admiſerint, vtcunque ſit nihil moror, ſatis ſuperque fuerit in rem præſentem demõſtraſſe ſenſitiuæ facultatis offenſionem dici ebrietatem non debere, licet à vino, aut alia quacunque potione paribus cum vino dotibus inſtructa inferatur: in cuius fidem præferenda rationibus exempla.

Et quæſo (diſcurramus tantillũ per externos ſenſus) quis inductum à copioſo meri potu ventriculi aut capitis dolorem ebrietatem exiſtimarit, ſi nullius præterea ſubſit affectionis querela? Idem omninò de guſtu, vel odoratu deprauato deque aliis ſenſibus iudicium ferendum. In quorum ſingulis longum & inutile fuerit integram ex enumeratione abſoluta inductionem formaſſe. Venio ad eas motiones quæ ex arbitrio noſtro cientur quarum offenſionem, cum per ſe ſolitaria eſt, non magis quàm ſenſuum læſionem ebrietas conſequitur, alias ſpirandi difficultatem, quæ pleno diſtentoque cibis & potionibus ventriculo ex Diaphragmatis cõpreſſione oritur, ebrietatem

tatem liceret appellare: vel tarditatem pigritiãque ad motum, aut grauitatem totius corporis & laſſitudinem quam larga potio peperiſſet. Quæ tamē omnia communi rectè ſentientium æſtimationi ſunt planè diſſentanea, tunc enim vere' ſolutam ebrietatem vulgò cenſemus. Cum mens ad ſe ſe rediit, licet vehemens etiamnum Cephalalgia perſeueret, aut incumbentis pōderis ſenſus toto capite ſit moleſtus, aut langor ſtuporque deiecta membra proſternat, atque exoluat.

Demonſtratum hactenùs tres omninò eſſe facultates corpus vniuerſum gubernātes, ac in ſolius animalis offenſione ebrietatem inſidere. Facultatem animalem triplicem eſſe oſtendimus principem, ſenſilem, & motricem, ac in ambarum poſtremarum neutra hanc ipſam affectionem collocari: conſequitur itaque ex iuſta partium enumeratione, contracto in facultatibus principibus ex liberaliore potu vitio ebrietatis labem contrahi ac inuri. Tres porrò facultates principes anteà percenſuimus imaginationem, memoriam, & ra-

tiocinationem quarum singularum notabilis offensio ebrietatem parit. In huius conclusionis probationem superuacaneum fortè videbitur aut rationes, aut aliena testimonia congerere in tanto tamque vnanimi vulgarium & prudentium consensu. Cùm enim plerique in ebrietatis suspicionem veniant ex oculorum hallucinatione, balbutiente lingua, titubante gressu, aliisque id genus externorum sensuum motuumque deprauatis actionibus, nihilominus tamen primariæ facultatis errorem tanquam primariam hac in parte notam proferunt; à qua impossibile sit immunem esse & ebrium. Redit in memoriam simile, quanquam dissimili casu, iudicium, nec præter rem, nec præter lectoris gratiam futurum. Profligato Xerxe conuocatæ Græcorum cohortes, collecta suffragia, iudices designati, quò suus cuique laudis & gloriæ decerneretur locus, & meritum ex celebratissima post orbem conditum expeditione bellicæ virtutis præmium. Militiæ Præfecti, quorum requirebantur suffragia, vt de se quisquis quàm de cœ-

teris melius ſentiebat, primum quoque ſinguli ſibi honoris calculum reſeruarunt, ſecūdum Themiſtocli omnes vno veluti calculo detulerunt, excepto nemine. Delata ad iudices vrna, primus eorum ſententia Themiſtocli decretus honos, cui deberi ſecundum nullo reclamante omnes cenſuiſſent. Pari modo cùm in reliquarum functionum animaliū læſione oriatur diſſenſio, ab vtra potiùs ebrietatis petēda ſit coniectura; ſitque de principibus vnus omnium conſenſus, reliquum videtur nihil in quo hæreamus: colligamus ſi lubet ſuffragia cōſpirare videbimus omnia in noſtram mentē, in primis vulgaria ſi non aſpernamur, è re noſtra ſunt. Neque ab horum calculo diſſentiunt Ægyptiorum commenta. Hi, vt miſteria recōdebant, in figmentis, vinum eorum ſanguinem eſſe dicebant, qui quondam diis bellum indixerant, terram huiuſmodi ſanguine perfuſam vitem procreaſſe: hoc argumento, quod qui vino immoderatius abutuntur, vſum rationis amittāt, aganturque in furias, Titanum more, deos, ſi ferret animus, aggreſſuri. In eandem

ſententiam ita feruntur Theologi[ſi modò ſacra profanis immiſcere licet) vt in ſola rationis deprauatione totam videantur ebrietatis eſſentiam collocaſſe. Ideò namque voluntariam ebrietatem peccatum eſſe inquiunt, quod expreſſum in homine diuinitatis ſimulachrum ebrietate deleatur, viua veraque diuini opificis effigies in ratione cóſpicua eſt, quæ in ebriis ſopita iacet ac ſepulta: In leuiori certè ebrietate iudicium peruerti, in grauiore prorſus aboleri ſcripſit Ariſtoteles. Verùm ad rationis læſionem accedit etiam memoriæ, ac imaginationis offenſio. Nam inter firmiſſima præſentis ebrietatis indicia vertiginem à vino profectam percẽſuit idem Ariſtoteles, quæ deprauatæ imaginationis eſt ſymptoma: & communi loquendi conſuetudine ex memoriæ lapſu ebrietatem colligimus: vnde memoriæ lapſum exprobranti, vulgò reſpondemus nos non eſſe ebrios. Huius concluſionis veritatem inficiari nullo modo poteſt quiſquis in brutis ebrietatem agnoſcit, cùm enim rationis expertia illa ſint, ſunt & offenſionis hac in

parte expertia, reliquas habent facultates nobiſcum communes, & communia illarum facultatum pathemata. Quamobrem in ſingulis principibus facultatibus defixa ebrietatis ſedes, illarum offenſionis hæc ſoboles, non ideò tamen inferri velim quamcumque primariis actionibus à crapula inuſtam labem ebrietatem reputãdam. Hoc ſi cui forte in mentem venit, ſententiam mutet, contrariam intelligat, quam breuibus aperio.

NON IN QVACVNQVE PARtium principum læſione conſtituendam ebrietatem.

CAPVT XIII.

NAturalis hiſtoriæ parens Plinius memoriæ lapsũ cæteris vini damnis annumerat, & meritò: tantus enim heluonibus & crapulæ addictis ſolet is obtingere, vt memoriæ toxicum iure crapulam nominaris. Lacædemonum Rex Cleomenes cùm pluribus annis ebrietati indulſiſſet, tum demum in

furorem act⁹ est ac in insaniã: nemo tamen reperietur qui diuturna diminutæ vel abolitæ memoriæ symptomata vel Cleomenis amentiam, & furorẽ, ebrietatis nomine donarit, licet ab immodica vini potione profluxerint. Quamobrem notãdum venit de natura ebrietatis illud esse quod citò in ipsis compotationibus, aut non multò post excitetur, citòque abeat ac euanescat, vt enim prompte', confertimque vini vapores in cerebrum præ tenuitate insiliunt suósque confestim exerunt effectus, pari modo prompte' & facili negotio tenues cùm sint in auras efflantur atque dissipãtur: itaut à quo exortus, ab eodem exitus promptitudo. Cronicæ illæ affectiones quę in inueteratis ebriacis exiteratis actibus contractæ inueterãtur, vt sensim sine sẽsu inualescũt firmas quoque & stabiles radices agũt, quę sublato postmodũ causæ euidẽtis affluxu, quã difficillimè & rarissime' euellũtur; mutata quippe atq; deturpata cerebri tẽperie naturali in habitũ trãseunt, quem tollere non minus arduum quàm ipsam naturã. Vnde consequitur obor-

tas ex frequenti ingluuie passiones non iam immediate à potionib⁹ proficisci, sed ab impressa dyscrasia vel obstructione, vel alia quauis præter naturam constitutione à qua sustentantur: huius quidem constitutionis prima ab ebrietate scaturigo, ab hac cōstitutione diuturnæ passionis fomes. Ipsa verò ebrietas vnà cum vaporibus quasi momento subrepit: ac veluti per cuniculos inuadit incautos ac prosternit: concludendum itaque ex omnibus functionũ principum læsionibus quæ à vino inferuntur, illas dumtaxat ebrietatis nomen mereri, quas non multò aut ingestæ potionis vis inuexerit, fouerit, atque sustentarit: qua vigente illæ vigent, qua euanescente, illæ pariter enauescunt. Si quis ab impressa posteà qualitate superstes futurorum malorum fomes alium quemlibet affectum parit potiùs quàm ebrietatem.

Iam tandem coronidis loco sparsa conclusionum fragmenta colligamus, vt legitimam ac absolutam ebrietatis descriptionem in vnum veluti fasciculum compingamus. Demonstratum in

primis ſine functionum animalium læſione conſiſtere ebrietatem non poſſe, haud tamen omnium, ſed in principum dumtaxat offenſione eſſe poſitam, additum non in quacumque, verùm in ea ſolùm quam recens ingeſtæ potionis vapor excitarit: non etiam cuiuſlibet potionis ſed alimentitiæ ſolummodò. Ex his non difficile fuerit integrã ebrietatis eſſentiam, breui quaſi tabella exprimere, quod in ſequenti aggredior.

VERA ET ABSOLVTA *ebrietatis deſcriptio.*

CAPVT XIIII.

EBrietas eſt actionum principum læſio, quam recens ingeſtæ potionis alimẽtitiæ vapor excitarit. Ecce tibi partibus omnibus abſolutam definitionem quam lõgo ſatis & laborioſo ſcrutinio venati ſumus: ſed hîc iterum opus diſcurſu ne quis ſcrupulus emergat.

Dictum in primis ebrietatẽ eſſe actionum principum læſionem: quales verò iſtæ ſunt actiones? Quot quibuſue modis

dis offendi solent? Equidem si quid aliud, admirationem in humana structura mouent tres illæ facultates quas à functionum nobilitate & præstantia nobiles & primarias appellam', imaginatio nempe, memoria, & ratio. Hæ illæ sunt quæ solæ hominē diuinitatis Archetypum constituunt, naturæ miraculum, animalium omnium principem & Coriphæum: quarum beneficio non corporum modo quibuscum illi materia communis, perfectionem longo superat interuallo, sed ad diuinam illam cælestium spirituum naturam quam proxime accedit. Illæ, vt essentia, sic etiam dotibus vere nobiles sunt & præstantes. Imaginatio quidem siue Phantasia externorum obiectorum species ac ideas recipit, concipit, ac retinet: imouerò noua sibi pro arbitrio rerū simulachra siue Phantasmata, nullo præsente obiecto, procreat & effingit. Hæc ipsa postmodum rationi seu virtuti intellectiuæ offert atque obiicit. His (vt necesse est intelligentem Phantasmata speculari) excitatur animus moxque aciem defigens altiùs, ad externas rerum ideas se

reflectit, diſcurrit, ratiocinatur, à cauſis progreditur ad effecta, à primis ad vltima, proponit, aſſumit, cõcludit: quaſcũque tandem concluſiones ſuo velut è ſinu promit, memoriæ committit aſſeruandas. Memoria demum ſuæ fidei creditas arctè tuetur, quas vſu poſtulante proferat è fæcundo ſuo penu, additis perſonarum, rerum, temporumque circunſtantiis. Tales ſingularum facultatum principum actiones.

Iam quæ læſiones? Triplex ſingularum vitium vulgò medicorum aſſignatur, deprauatio, immunitio, corruptio, deprauatur in Phreneticis & Hypochondriacis ratio: minuitur in fatuis ac idiotis: tollitur in amentibus quos inſenſatos vocant. Galli vulgari idiomate innocentes, cùm in eos culpa non cadat vel demeritum. Harum trium læſionum alterutram tres illæ facultates ſimul ac ſemel in ebrietate plerumque incurrunt: plerumque, inquam, neque enim neceſſe eſt ad conſtituendam ebrietatis eſſentiam vt ſimul omnes offendantur. Vt enim in vnam aliquam ſeorſim illæſa altera redun-

dare poteſt offenſio, ſic ab vnius offenſione ex potibus contracta ebrietas inducitur. Si quis igitur memoria integra (quod non rarò accidit) aberret in rationis vſu, ſolius rationis error iuſtam ebrietatis inuret notam. Imaginatio quoque vitioſa, memoria & ratione conſtantibus, ſatis eſſe poteſt ad iuſtam ebrietatis ſuſpicionem. Et quemadmodum alterutrius facultatis læſio, ſic & alteruter læſionis modus ebrietatem parit: nam ſiue imminuta ſolùm aut deprauata ſit actio, ſiue prorſus abolita, quodcumque horum adfuerit, aderit ebrietas; at grauior certè ac magis periculoſa abolita corruptaque, quam deprauata vel imminuta actione. Eò quoque grauior, & grauioribus periculis obſeſſa, quo plures attinget facultates pluresque actiones. Ita ab Ariſtotele proditum legimus, à leui ebrietate iudicium peruerti, ſed non niſi ab inſigni ac ſummè immoderata corrũpi. Et ſanè par ebrietatis cæterarumq; affectionũ eſt ratio, vt enim eiuſdem naturæ & ſpeciei febres & ab iiſdem cauſis ortas grauiores dicimus

aut leuiores pro caloris & ſymptomatum vehementia aut leuitate, pari modo ebrietatis eſſentia intendi ac remitti poteſt, atque ex conſequenti leuior aut vehementior appellari pro diuerſo læſarum functionum numero vel ſtatu. Hæc quo ad facultatum principum læſiones; reliquas definitionis particulas præcedentibus capitibus quantùm ſatis eſt videmur explicaſſe. Si quis tamen reliquus eſt difficultati locus ſequenti enodabitur.

SOLVTIO QVARVNDAM *obiectionum quæ in Ebrietatis definitionem torqueri poſſunt.*

CAPVT XV.

CONtraria iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt, vt eſt in Prouerbio, contrariorum itaque oppoſitione definitioni propoſitæ lucem afferamus. Mirabitur in primis fortaſſe quiſpiam affectiones illas, quæ vel ab exterioribus fumis, vel à ſolidiorum corporum vaporibus, vel alio quocunque tandem

modo exortæ, ebrietatis appellationem apud vulgum ſortiuntur, præfata definitione minimè comprehendi: quo nomine definitionem explodendam arguet tanquam arctioribus limitibus concluſam, mancam & imperfectam, neque cum definito reciprocam: maximè cùm eadem vrgeant vtrobique ſymptomata, eædem ac earumdem partium, functionùmque læſiones, & ab iiſdem ferè cauſis, nempè à vaporibus aut fumis, qui in mentis cæterarúmque facultatum principum arcem inſiliunt, facultates ipſas à ſua ſede dimouent, earum actiones labefactant, atque interturbant. Demus certè ſpecie differre externas illas cauſas ſiue mediatas, ſiue immediatas, à quibus eiuſmodi affectiones oriuntur, quid ampliùs concludemus (ſi ritè Philoſophabimur) quàm ſpecie differentes effectus ab illis produci, qui ad vnũ aliquod genus referri debent? quid eſt igitur quod affectionem id genus à vino excitatam ebrietatem nuncupemus, ſed quam Lolium, quam Hyoſcyamus, quam Cicuta pepererit aliter appellandam contenda-

mus? Offendat aliquis in platea iacentem quempiam, vel titubantem, ſibi Chimeras effingentem, effutientem abſona, ridicula facientem, voce, verbis, actione totius corporis motu & geſticulationibus ebrio ſimilem, nunquid illicò ſic compoſitum hominem ſi ſententiã roges, nominabit ebrium, ignorata etiamnum externa talis diſpoſitionis cauſa? Niſi fortè vel calorem à ſole impreſſum alterius generis ab eo eſſe putet, quem ignis impreſſerit: vel pullũ gallinaceum gallinæ calore ab ouo excluſum ſpecie diſcrepare ab eo cui anas incubarit.

Ad huius nodi ſolutionem notent vulgares multorum nominum varium eſſe vſum, variamque ex vſu vario ſignificationem laté quandoque ſumitur vna eademque appellatio, quandoque ſtrictiùs. Quo ampliùs extenditur, eò pluribus communis minuſque propria: Quò ſtrictiùs eò ſignificantiùs peculiarem & propriam rei indicatæ naturam deſignat & determinat. Iam hoc poſito liberum cuique eſſe volumus præfatos illos effectus omnes, quan-

quam à variis causis procreatos quoniam accidentibus conueniunt, sub eodem genere eademque appellatione complecti. Negamus tamen genus id vniuocum æstimandum, negamus vniuocè singulis sub eo genere contẽtis talem appellationem quadrare; Quibusdam enim propriè tribuitur, aliis Metaphorice & impropriè propter quandam similitudinem aut cõmunionem. Sic affectiones omnes quæ ebrietati assimilantur genericè loquendo, ebrietatis nomine donamus, licet propriè ad eas solùm pertineat hæc appellatio, quas alimentitia potio excitarit, Vltró quidem admittimus causarum efficientium varietatem non necessariò differentiam inter effectus essentialem cõstituere, satis illa causarum diuersitas esse non potest ad differentiem essentialem inferendam; verùm ad accidentalem satis. Et hæc ipsa cùm positiua sit & realis ad varios nobis circa eiusdẽ naturæ subiectum conceptus inducẽdos est satis, pro varia scilicet relatione, quæ nos modò in hanc causam flectit, modò in alteram. Præfata itaque accidentia,

quantumuis ſimilia inter ſe ſe, vnā eandemque ebrietatis appellationem non merentur: quæcunque ab alia cauſa fluunt quàm ab alimentis, veneficia vocentur potiùs, vti iam anteà declarauimus. Huius doctrinæ, ſi non auctorē, aſſertorem certè grauiſſimum habem' Plutarchum, qui inuectum ab hederæ baccis ſymptoma, non ebrietatem, ſed mentis alienationem nuncupauit. Idem de Hyoſcyamo, Lolio, cæteriſque anteà commemoratis iudicium faciendum. Solidorum ciborum & potulentorum longè diſpares ſunt effectus. Quis enim vnquā ſibi à nimio eſu, vt à largiore potu mentem interturbatam ſenſit? Ait Macrobius. Quiſquis infarctus eſt cibis, ſolum ſibi ventriculum aut abdomen diſtentum, preſſum oppreſſūmue percipit: quiſquis potionibus indulſit vberiùs, animo percellitur, moxque demē-ti ſimilis euadit. Potulenta namque vt leui momento in halitus digeruntur, leui quoque momento feruntur in ſublime, cerebrum petunt atque oppetūt. Quamobrem meritò potulētorū dumtaxat facta in definitione eſt mentio.

Verùm progredietur vlteriùs argutulus quiſpiam & noſmetipſos nobis opponet, qui brutorum ebrietatem noſtra definitione complexi ſumus, cùm præcedenti capite illam à præſenti tractatu eliminandam propoſuerimus.

Verùm eſſe fatemur quod obiicitur: concedimus animantia rationis expertia vino quandoque cœteriſque potionibus alimentitiis capi ſolita, ideóque cadere in illa definitionem allegatam: ſed nos huiuſce tractationis ſcopum ad ebrioſitatem dirigimus, ad quam, vti & ebrioſis, viam nobis præmunit ebrietas: illa cùm brutis non cõueniat, ebrietatis pariter diſcurſum nolumꝰ ad bruta pertinere. Etſi verò nobis alius proponeretur ſcopus, nil inconueniret quò minùs ad ſolos homines noſtra ſpectaret oratio, magna alioquin ex parte hominibus cum cœteris animantibus communis. Quot morborum definitiones, quot curationes à Galeno atque in vniuerſum à practicis omnibus afferuntur, quæ brutorum vt hominum affectibus competunt? ſolis tamen hominibus à Galeno & practicis adaptan-

tur: te, ſi communem vtriſque tractatum ſcripſeris, riſerint, atque exploſerint, noſtra ergo ad ſolos homines refertur oratio.

Perget in examinanda definitione aliquis & mirabitur nos ita ſtrictis anguſtiiſque limitibus adſtrixiſſe ebrietatis eſſentiam, quaſi ipſa non æquè in ſenſitiuæ & motricis facultatis, ac in actionum principum læſione conſiſtat. Et quæſo, cadat, titubet, vix pedibus hæreat benè potus quiſpiam, duplicata videat obiecta, neque certò de coloribus iudicet, nunquid his aliiſque id genus argumentis cõuincetur ebrietatis, æquè ac ſi loquatur abſona, neque præteritorum recordetur? Quidni ergo definitio has includit notas? Reſpondemus ex ſolo ſenſuum externorum, motuumque vitio à potulentis contracto perperam inferri ebrietatem, niſi pariter ad actiones principes pertingat iniuria: quoniam tamen harum illarúmque facultatum inſtrumenta ſic arctè inter ſe ſe communi veluti nexu ſociantur, vt vix, ac ne vix quidem, offendi vnum poſſit quin ad alterum perueniat

offenſio, (quanquam pro reſiſtentiæ diuerſitate, quandoque variãtur effectus) inde eſt quod ex ſenſuum motuúmque deprauatione facultatum principum læſionem haud malè concludimus, ſimúlque ex ſuppoſita harum læſione, ebrietatem.

Quanquam in vulgares fortaſſè non cadet hæc illatio, nam externos duntaxat oculos ad externas illas læſiones vulgus conuertit, neque internam mentis aciem ad interiores dirigit.

Sed communia vulgaribus cum doctis præfata argumenta: prodibit fortè nunc ex Medicorum ſcholis non ignarus aliquis, ac inſtabit grauiore nixus rationum pondere, non in ſymptomatum ſed in morborum album adſcribendam ebrietatem, vt potè quæ non in facultatum læſione ſit poſita, ſed ipſius læſionis cauſa ſit æſtimãda, atque vt cauſa non vt effectus definienda. Namque in eo qui vino prorſus ſepultus iacet, nullæ apparent actionum nobilium læſiones, in illo facultates omnes haud aliter quàm in dormiente ferientur. Quemadmodum igitur proba cor-

poris cõſtititutio, quam ſanitatem vocamus, in corporis functionibus ſita non eſt, (aliàs dormientes ſani non eſſent reputandi) pari modo ebrietas non in ipſa operationum lęſione eſt poſita, ſed in læſionis cauſa: alioqui vino madidum, planéque demerſum, cùm ab opere inter dormiendum deſiſtit, dicere ebrium non liceret. Reſpondemus ſomno ſopitum hominem à liberaliore meri potione verè ebrium nuncupandum, licet nulla tum in eius operationibus principibus manifeſta ſit offenſio: ceſſant enim ab opere facultates, non ad eum qui in ſomno naturali modum, ſed abolitæ potius, & vini violentia fermè obrutæ. Vt vt ſit tamen parum intereſt ſiue in ipſa functionum læſione, ſiue in læſionis cauſa ebrietatis eſſentiam collocemus. Licet pro diuerſo reſpectu diuerſas eiuſdem definitiones adſtruere, ſi ſpectetur vt morbus, non malè definietur affectus contra naturam à vaporibus recens ingeſti potus alimentitij procreatus, quem functionum principum læſio conſequitur. Sin vt ſymptoma, definitionem allegatam

retinebimus. Sic lethargũ Medici quandoque considerantes vt morbum, definiunt intemperiem cerebri frigidam & humidam cum materia pituitosa putrida. Aliàs vt symptoma describunt somnum profundum cum obliuione & febre. Ebrietatem porrò descripsimus vt symptoma ad maiorem facilitatem, morborum enim effectus sæpè quam morbi ipsi longè clariùs innotescunt. Et his quidem sufficienter illustrata videtur ebrietatis essentia. Iam qua ratione ipsa inducatur explicemus.

QVA RATIONE INDVCAtur ebrietas.

CAPVT XVI.

DVcta iam in apertum ebrietatis essentia, ducta in apertum arma quibus adoriri nos ipsa potest: nullus tandem ab eius insidiis superstes erit metus, si latentes in intimis visceribus cuniculos per quos clanculum ad summa serpit, si partes omnes quas inopinatò peruadit, aut ad quas eius pertingit of-

fenſio, in lucē proferātur. Vtrumq; hoc & ſequēti capite breuibus declaremus.

Vt primum potens & generoſum vinum, aut quicunque alius potentia calidus fumoſuſque liquor, in ventriculum magna copia ingeritur, indeque in caua hepatis per meſaraicas venas quaſi per tubos diſtribuitur, illicò naturalis calor [cui par actionis & durationis tempus] obiectum aggreditur, in illud agit pro virili, vimque ſuam omnem exerit, eo planè modo quo ignis in patellam aqua plenam: alteratur mox ingeſtus potus, incaleſcit, efferueſcit: in halitus calidos humidoſq; reſoluitur, qui, vt aëreæ naturæ participant, ſuopte motu ab imo ventriculi ac hepatis feruntur in ſublime, ſumma capitis obſident atque occupant. Inter has vtraſque partes, mediæ interiectæ aliæ ſunt non paucæ, per quas tranſmiſſi vapores modò hac, modò illac ſibi viam parant in cerebrũ, ſua ſibi tenuittae inuia quæque reddũt peruia πάντῃ ἄπορον πόρισμον. Et ſi verò cõcedamus (quod nonnulli autumant) vt in lamina ferrea calor ab vno extremo in alterum protenditur, ſic vinum ex ſe

ſe, ſuaque vi ſola partium continuitate, nullo vaporum interuentu cerebrum ferire: aut iſthuc ſanè per inconſpicuos poros facilẽ eſſe vaporibus aſcenſum. Nulla tamen (ſi ritè perpendemus) accommodatior inuenietur via, quàm quæ ſub obtutum cadit. Prodit Anatome à ventriculo & hepate duos in cerebrum patulos ac hiantes meatus, Oeſophagum & venas addo & arterias. Oeſophagũ fabricata eſt natura ad trãſmittẽdos ab ore in ventriculum cibos, primarius itaque illius vſus eſt deſcẽſus ciborum: ſed eodem abutitur ad vaporũ, flatuũ, humòrũ, ſolidorúmq; corporum quæ ventriculo moleſtiam exhibent ad fauces regreſſum: huc elati vapores, niſi aperto ore foras proſiliant, ſurſum inſiliunt, pars in cuneiformis poros ſe ſe inſinuat, ab his in pituitoſam glandem, demúmque tertium cerebri ventriculum ſubit. Pars, latiùs diducto tramite, à palato recta tendit in nares, à naribus in oſſis ſpongoidis foramina: ab his in proceſſus mammillares, à proceſſibus mammillaribus in vẽtriculos anteriores. Pars denique (vt varius vapo-

rum motus) à naribus deflectit ad obuias quasdam cauitates, & angustos ductus per quos ingressus datur in oculorum orbitas, & in varias cerebri partes: istæ à ventriculo in cerebrum viæ.

Ab hepate exortæ venæ in omnem corporis ambitum propagantur, & cõuenientem alendis partibus sanguinem circumquaque transfundunt. Mero incalescens hepar, aut (si ita loqui malis) vinoso chylo, mox, quasi efferuescẽs patina, turget vaporibus, qui vt volubiles, coërceri nequeunt: vt aërei alta petunt. A Trunco egressi venam ingrediuntur cauam ascendentem à caua ascendente ad iugulares progressi, diffunduntur in plexum choroidem, ac innumeros eiusdem ramulos cerebri nutritioni destinatos, quorum reseratis per vim osculis, tanquam repagulis diuulsis in cerebrum inuolant, tãto plerumque conatu, vt facultates eius omnes pessundent & peruertant, quandoque etiam obruant & funditùs euertant.

Hinc à recentioribus medicis sũpta occasio pilularũ paulò ante cibum vel non multò post offerendarum, credibile quippe

quippe visum est, vim purgatricem ad cerebrum facili⁹ & promptiùs peruenturam esse, cui alimentitij vapores pro vehiculo assisterent. Sed ad rem: interim dum in ventriculo, in hepate, vicinisque partibus coctio fit, materiæ mole anteà demers⁹ vini calor à natiuo coquentium partium calore in actum deducitur, moxque ebulliens toti viciniæ primum feruorem imprimit, dehinc communione partium ardorem in omne corpus transmittit. Illi pro vehiculo est sanguis feruidus non in cerebrum dumtaxat modo explicato, sed in intimos etiam cordis sinus. Ampla est sanguini in ventriculum eius dextrum per venã cauam via, ab hoc in sinistrum. Patet sanguinis vaporibus per insẽsiles ductus à venis in arterias aditus. Accenduntur vtrinque spiritus, geminantur cordis arteriarumque pulsationes, succrescit cum agitatione feruor, cum vtroque vaporum cumulus; incendũtur, fumant vndique omnia. Obsessum vndequaque cerebrum victas dat manus, victoribus se suaque omnia dat in prædam. Vix vllæ ipsi suarũ facultatum

ſuperſtites notæ, vix vllæ actionum reliquiæ. Spoliatur ſenſu, oratione, ipſa ratione. Deplorandam hominum ſortem qui belluino magis quàm in ipſis belluis more, internis èxterniſque ſenſibus blandimenti ſpecie in propriam ruinam ſic frequenter abutuntur: digni qui cum à rationis dominio tam leuis voluptatis cauſa ſe ſubtrahant, deprauatæ facultatis animalis pœnas, in omni vita luant, quibus percenſendis proprium in ſequenti capite locum reſeruamus. Iam quemadmodum ſubiectæ partes totæ ſcatent & redundant vinolenta colluuie, quæ nouam continuo vaporum prouentui materiam ſufficit, ſic iiſdem excipiendis accommodatiſſimum efficit, cerebrum ſitus & amplitudo. Hic ergo vaporum fomes, hæc origo, prima hæc ſedes & vltima, hæc media per quæ ſenſim irrepit in cerebrum vna cum vaporibus ebrietas. Nunc quas edat ſtrages, quibus partibus, quibus actionibus detrimentum afferat, inquirendum.

QVIBVSNAM PARTIBVS DEtrimentum afferat ebrietas, quos effectus pariat?

CAPVT XVII.

TOt tamque varij tractus, per quos vltro citróque caput inuadunt vapores, ſufficienti argumento eſſe poſſunt nullam eius ſeruari partem à vaporum iniuria prorſus immunem. Et ita quidem crebro euentu compertum eſt: Patiuntur nerui, implentur ac intumeſcunt venæ, importunè ac violenter pulſant arteriæ, diſtenduntur membranæ, non ſine punctione vehementi: vertiginem inducunt halitus circũquaque per ventriculos oberrantes, ſpectra exhibent terroris plena: incaleſcunt præter modum humores, ſpiritus, tota cerebri ſubſtantia, ſurſum deorſum feruntur omnia. Nulla facultatum principum, nulla factionum, niſi deprauata veſtigia. Qui enim integræ illæ conſiſtant euerſa qua fulciuntur baſi? Actionum principium medici communiter in

partium temperie collocăt & ſtructura. Temperiem vel vt formam agnoſcunt, vel vt formæ vicariam ſtructurã vt inſtrumentum. Ecce ambo deprauata hîc vides, Temperiem quidem extranei caloris humiditatiſque acceſſione: conformationem, diſtentione violenta, repletione, infarctu, Meningũ, venarum, arteriarũ, neruorũ & ventriculorum. Quin etiam pericranium ſuo ab oſſe diuelli magno ſæpè cruciatu perſentitur. Calidam quidem & humidam eſſe vaporum intemperiẽ colligo ex materia ſubiecta, ex efficiente cauſa à qua excitantur, ex eorum effectibus: quanquam non æquales in omnibus caloris & humiditatis gradus. Calori [vt pote cui vis agendi potior] primas in ebrietatis generatione deferimus: Quòd intuitus Ariſtoteles tum precipuè oriri ebrietatem aiebat, cùm cerebrum incaleſceret. Ab iſto calore rubet facies, micant oculi, caput ardet, diducuntur pori: ab hac ipſa cauſa garritus inſolẽs, ſuperbia vix ferenda, promptitudo in agendo, ſpirituum inflammatio, dormiendi impotẽtia, in vigilias & in iram

propenſio, & quandoque in furorem. Fluunt ab humiditate inuoluntariæ lachrymæ, frequens ſpuitio, capitis grauitas, ſtupor, & cõſanguineus lethi ſopor, torpor, molities, ſolutioque neruorum: hinc ſtandi ac erigendi ſe ſe difficultas, titubatio, balbuties, pigritia, ac impotentia ad quoſcunque motus. Repletiones, diſtentiones, obſtructiones, vaporum agitationes. Mille conſequuntur ſymptomata, grauia illa quidem & periculoſa cuiuſmodi ſunt immanes atque implacabiles cruciatus, vertigines, aurium tinnitus, hallucinationes, falſa oberrãtium rerum ob oculos ſimulachra, ſenſus motuſque imminutio, deprauatio, corruptio, & id genus alia quę veluti compendio deſcripſit Poëta quidam hiſce verſibus.

Cum vini vis penetrauit
Conſequitur grauitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt.

Ex præfato diſcurſu non difficile fue-

rit(meo iudicio) intelligere qualis principum actionum ſit offenſio (in qua nos ebrietatis eſſentiam poſuimus) & qualis offenſionis cauſa. Illæ vt variæ ſunt & multiplices, varié quoque afficiuntur. Modò ab intemperie vaporum, à qua cerebrum alteratur & ſpiritus animales. Aliàs ab illorum iactatione, cuius vi rapti ſpiritus inordinato cientur impetu. Aliàs ab eorumdem craſſiore ſubſtantia, quæ ſpiritibus aditum intercipit ad principes actiones. Verùm de his ſequenti capite, in quo variorũ vini effectuum cauſas aperiem⁹ ex profeſſo, propoſitum hîc potiùs nudos vini effectus contemplari. Quem in finem placet ſingulare quoddã ebrietatis exemplum, dictu certè audituque mirãdum ſimul & iucundum ex Athenæo Dalechampij verſione adſcribere. Timæus Tauromenites, domum quãdam Agrigenti hac de cauſa vocatum fuiſſe Triremem narrat. Iuuenes quidam temulenti in ea vſque adeò dementati ſunt, ebrietate ac vino æſtuantes, vt in Triremi nauigare ſe crederẽt horrẽda tempeſtate in mari iactata; tantumque è

mentis poteſtate deciderunt, vt domus, vaſa omnia & ſtragula foras eiicerent velut in mare, nauis quam tempeſtas affligebat vt illis videbatur exonerandæ cauſſa, iuſſuque gubernatoris. Congregatis ad id ſpectaculum multis vt proiectam ſupellectilem diriperent, ne illorum quidem concurſu tanta iuuenũ ceſſauit inſania. Poſtridie verò profectis ad illas ædes prætoribus inclinati iuuenes adhuc nauſeabundi iis qui interrogabãt magiſtratibus reſponderũt, tempeſtate ſe vexatos nauem vt alleuarent ſarcinas ſuperuacuas in mare abieciſſe, mirantibúſque prætoribus tam attonitum illorum ſtuporem, vnus ex iis qui maior natu cæteris videbatur. Ego (inquit) viri Tritones metu cõſternatus ſub infimo nauis tabulato quammaximè licuit abditus, iacui. Perenni mẽtis alienationi iudices cùm ignouiſſent, obiurgatos, ac monitos ne poſtea vino ſe ingurgitarent, dimiſerunt. Illi verò ſe gratiã habituros profeſſi dixère, ſi portum attingerent tempeſtatis periculo defuncti, ipſis qui ſeruaſſent, & tam opportunè auſpicatoque ſibi appa-

ruiſſent, in publico cum marinis diis ſtatuã dicaturos. Inde ſcilicet domum illam Triremẽ vocauère. At quid opus eſt in exprimendis ebrietatis effectibus diutiùs verſari? Quorſum exempla vetera conſectamur? Prodeunt in dies noua portenta vel lippis nota, nota (inquam) crebra & familiari experientia, & vt ebrietatis ſigna, & vt effectus. Quorũ immediatas proximáſque cauſas norunt docti, perquirunt vulgares: hos doceamus, illi iudicent.

VARIORVM EBRIETATIS effectuum explicantur cauſæ.

CAPVT XVIII.

EX iis quæ hactenus circa ebrietatis eſſentiam præfati ſumus, non difficile eſt vel mediocriter in rebus Philoſophicis verſato, omnium ebrietatis effectuum cauſas aſſignare, ſimulque variorum problematum ſolutionem quæ in vtrumque agitari ſolent. Nos in rudiorum gratiam ſigillatim quædã proponemus, doctioribus ſi parùm fortaſſe

vtilia,

vtilia, certè non iniucunda. In hac disquisitione si quãdo ab Aristotelicis placitis deflectemus, ignoscant quæso veritatis studio, nosque iure nostro liberè vti sinãt, liberum vicissim omnibus esse volum⁹ suis stare iudiciis, à nostra sententia recedere. Ad distinctiorem intelligentiam rem totam in duò capita distribuem⁹. Primum hoc ad solam theoriam, alterum ad praxim pertinebit. Rapuit nos in admirationem paulò antè adducta temulentorum iuuenum historia, iam quæ tãtæ agitationis causa esse possit, primum inquiramus.

I. PROBLEMA.

Cvr obiecta exteriora immota cùm sint & immobilia, grauiter à vino detentis circumferri videntur? An quia conspectus frequenter à calore vini cõpellitur atque commouetur? Nihil verò interest conspectus moueatur an res conspectui obuia. Ita sensit Aristoteles, neque mentem suam satis explicuit, aut nimiũ obscure. Nam quæ subiicit obscuriora sunt quàm vt facilè à quoquam,

possint intelligi: allata verò ratio infirmior quàm vt satisfaciat. Si enim in solum vini calorem conspectus referenda est commotio atq; compulsio, quidni à calidis omnibus similiter afficimur? Quidni à flammæ feruore potius, cuius splendor agitatioque motum ab æstu concitatũ non mediocriter promouẽt. Nonnulli (ex quarum numero Ioannes Baptista ortu Neapolitanus, Aristotelis mentem sua interpretatione suffulciũt. Cerebrum, inquiunt, vini calore incalescit, conceptum calorem in omnem viciniam diffundit, ac in oculos maximè. Huius caloris actione vapores excitantur, qui intra tunicam corneam conclusi, cùm nullibi pateat exitus voluuntur in girum, secumque vnà rapiũt lineam visualem, vnde externa omnia pariter videntur circumuolui. Isti ad Aristotelis sententiam addunt aliquid, ad rei intelligentiam vix tantillum, ad obiecta diluẽda nehilum quidem. Procedit in eos quod in Aristotelem torsimus: procedit & istud in vtrosq; quod in solum aspectum talis motionis causam reiiciant, cùm ad tactum quoque

ipſa pertineat imo verò nocte media, loco tenebricoſo, clauſis oculis æque ac apertis, atque interdiu talis motus perſentitur.

Alexander Aphrodiſæus, & cum eo non pauci, cauſam detorquent in vini vapores, qui cum hinc inde confusè in cerebrū ſparſi & vagi nullo rhythmo, nullo ordine in opticos neruos, & ab his in pupillam ferantur, interiorem hanc motionem tanquam exteriorem ſenſibus obiiciunt. Et hi quidē rem aliquantò propiꝰ meo iudicio attingunt, ſed in ſola hærent viſione vti præcedētes. Sed & quibuſdā abſonum videtur, vt craſſiores id genus vapores neruos opticos permeent; Aut ſi iſtud conceditur, tunicam vt retiformem peruadant, multò minùs vt humorem glacialē ſiue Chryſtallinum, tandemque ad albugineū ſiue aqueum pertingant, quò ſanè pertingant neceſſe eſt ad deprauādā viſionem.

Componere id genus diſſidia non eſt præſentis inſtituti: noſtra ſententia eſt caloris actione vinum in fumos ac vapores reſolui, qui ſurſum à ventriculo & naturalibus partibus elati

cerebri ſinus occupant, moxque dum mutuò ſibi præ copia, & violenta agitatione exitum intercludunt, aguntur in girum, eo ipſo modo quo flamma in Clybano coercita;ad deprauatos vaporum motus iactãtur, voluunturque ſpiritus animales, & obiectorum externonorum ſpecies imaginationi referunt & viſui ea ipſa forma, qua diſponuntur. Huic problemati finitimum eſt iſtud alterum.

II. PROBLEMA

CVr ebrij circumagi ſibi caput putant? Nempe quia concutiuntur à vaporib⁹ cerebri membranæ, venæ, arteriæ, ipſum quoque cerebrum: vehementi namque cõcuſſione, iactationeque vapores eius quam ſubeunt motionis imaginem imprimunt iis partibus quas attingunt.

III. PROBLEMA

CVr ebriis geminata appareant obiecta?

Non eſt quod hæreamus in refellēda eorum opinione qui viſionē vnico fieri oculo adſtruunt.

An ergo dicendum eſt (quod optici ſentiunt) progredi ab oculis vtrinque viſuales ſiue perpendiculares lineas, quarum conus ſit in pupilla, baſis in obiecto, Illæ ſi in obiectum æqualiter ferantur & concurrant, vnicum id apparebit, licet à plurib⁹ videatur: ſin linearum concurſus inæqualis fiat, duplex obuerſabitur obiectum. Ita fit in ebriis ex deprauato oculorum naturali ſitu: Oppletis quippe vaporum appulſu, vel relaxatis muſculis quibus in ſuis orbitis continentur, mouenturque oculi, variè diſtorquētur, illis ſurſum, his deorſum trahentibus vnde poſtmodum ductis indirectè à viſu in viſile radiis, vt multiplex eorum eſt occurſus, ita multiplex apparet quod videtur. Rem ita habere ex eo patet quod ebrij ſi alterutrum claudant oculum, mox ſimplex id videant quod duplex æſtimabant. Quid ſi inſtare auſit aliquis, ac pertinaciter tueri vnico oculo fieri viſionē, aut certè clauſo altero geminata etiānum

visilia ebriis obiici? Prouocabimus ad experientiam, ac iis sensus pænam indicemus: non enim vnicus ocul⁹ duplicatum vnquam perceperit obiectum, sed tremulum. Demus tamen illud eorum pertinaciæ, quam causam prætexemus? Vehemētem scilicet, quæ cùm à calore vini, tum à vaporibus prouenit agitationem, à qua cōtorti visuales radij neque recta, neque continuè sensili applicari possūt, vnde geminum id corpus putat, vnum reuera cùm sit, in quod obliquè, & quasi momento bis cōuertitur oculorū acies idem in tactu nobis experiri licet, nam si duobus digitis inuicem implicitis globulum vnicum rotes, globulos duos voluere te iudicabis.

Iam si visuales istos radios siue lineas explodamus (quod plerique faciunt) quænam problematis initio propositi afferenda solutio? Dicemus ideò geminari obiecta, quod eorum species in diuerso recipiantur oculorum plano, variata namque oculorum superficie, variatur obiectorum perceptio. Variatur porrò oculorum superficies, dum mus-

culorum illos continentium hic attollitur, ille deprimitur.

IIII. PROBLEMA.

QVi fit quod ebrij malè de coloribus iudicent? Huius, vt præcedẽtium problematum in vini halitus torquenda eſt cauſa, ab his enim coloratorum corporum infectæ ſpecies, deferri in pupillam puræ ac defæcatæ non poſſunt, quamobrem imagines coloreſque proferunt corporibus à quibus emittuntur plerumq; diſſentaneas. Sic tranſmiſſæ per vitrum ſpecies vitri colorem viſui repræſentant.

V. PROBLEMA.

CVr tot tantique tinnitus ebriorum auribus & tam frequenter circumſonant?

An quia in aurium caua delati vapores connatum aërem exagitant, tympanum pulſant, in tria auditus oſſicula impingũt? Ex eiuſmodi colliſione & attritu fit ſonus, qualis ab externis cauſis.

VI. PROBLEMA.

CVr balbutiunt ebrij? cur titubant? Cur plerumque concidunt?

Balbos longo alui profluuio maximè detineri ſcribit in Aphoriſmis Hippocrates. Balbutiem naturalem vel in cerebri, vel in linguæ, vel in vtriuſq; præhumidam temperiem reiicit in cõmentario Galenus. Cerebro quidem talem humiditatem ſortito par eſt (inquit) humidas ſuperfluitates copioſas depluere, ac in vẽtrem illabi, irrigato ſæpè cõfertimque ventre longa alui profluuia ſuccedũt. Lingua verò humidiore natura exiſtente in eandem ventriculus imtemperiem conſpirat, cùm alteram ſui tunicam ambo communẽ ſortiantur: imbecillis porro ex humiditate ventriculi propria paſſio eſt diuturnum alui profluuium. Hæc Galenus: quæ in rem noſtram torquere licet. Nam ſi pręhumiditatis copia prolationis detrimentum accidit, relaxatis aut mollioribus redditis linguæ muſculis, aut eorum neruis quos à cerebro ſuſcipiunt,

quid mirum eſt illud ebriis euenire, quorum cerebrum multa humiditate perfunditur, eiuſdemque multitudine prægrauatur? Quin etiam propter præfatæ tunicę communionem humiditate ſuperflua qua redundat vẽtriculus, madeſcit lingua & alluitur. Frequens verò titubatio & caſus neruorum debilitati, debilitas mollitiej, mollities humiditatis exceſſui tribuenda, huius denique exceſſus vini exceſſui. Quod ideò fortaſſe oculis & neruis natura inimicum Meſues profitetur eaſdem ob cauſas, (toti namque humiditati defluũt) balbutiunt pueri, neque pedibus hærere aut firmari poſſunt. Et hæ quidẽ communes diuerſorum effectuum cauſæ, ſed audiamus contrarios vini effectus, & contrarias contrariorum effectuum cauſas.

VII. PROBLEMA.

CVr à vino quandoque in vigilias, quãdoque in ſomnũ fit propenſio? An in diuerſam potionis qualitatem aduerſorum effectuum occaſio detor-

quenda? An in tumulentorum variam planè ac plerumque cõtrariam temperiem? An potiùs in vtrumque? Equidem in Taſo legimus duplicia generis vina reperiri, quorum alterum compotãtes ſomno, alterũ vigiliis, obnoxios facit. Supponam⁹ ſi lubet (quid enim obſtat?) lõgo interuallo vaporum humiditatem à calore ſuperari; imo verò (quod probabiliter nonnulli in quibuſdam vini generib⁹ agnoſcũt) ſuperare ſiccitatem vel natura, vel arte, vt in ſulfureis. Demus & cerebrum tẽperamento ſiccius, ſequentur vigiliæ contumaces, tantò inquam contumaciores, quantò illa vtraque cauſa intenſior. Quæ ſi fortè progrediantur, atque intendantur vlteriùs ſuccedet ſpirituum animaliũ phlogoſis, ab hac furor, & mania: narrat Galenus Pergamenum quendam, cùm in vaporarium ſecederet ſeruum ſuum iuuenculũ domi obſeraſſe: hic ſiti preſſus aquæ defectu vinum vet⁹ generosũ, merum largiter ad ſitim bibit & vltrà fortaſſe: vigiliæ continuæ ſubſequuntur, febris, deliria, mors. Iam ſi vaporum humiditas calori natura vel arte

præpolleat (qualis in modicè dilutis, quibus magnam vim tribuit Galenus conciliando ſomno) atque id genus vapores cerebrum offendãt, aut à natura, aut ab euentu præhumidum altus cõſequetur ſopor, & ſtupor. Sic à vino affici ſolitos, vino Vrſino præditos dicimus: contrarios Leonino.

VIII. PROBLEMA.

AN contrarius vino & ceruiſia madidorum caſus? An hi ſupini, illi proni in terram cadũt? Ita cenſet Athenæus atq; inter recentiores non pauci. Sed promiſcuè in hanc vel in illam partem vino potos deuolui ſcriptum reliquit Ariſtoteles. Mihi ſi ex propria experiẽtia loqui fas eſt, verè poſſum & ingenuè profiteri, me, cùm in ſuperiori tum in inferiori Germania dato ſtudio vltra ducentos obſeruaſſe ceruiſiæ plenos in vtrãlibet partem collapſos. Homerus verò Polyphemum vino ſopitum in dorſum procumbentem facit.

Ἀὐτὰρ ἐπεὶ Κύκλωπα περὶ φρένας ἤλυθεν οἶνος (inquit) ἀνακλινθεὶς πέσεν ὕπτιος.

Vina vt Cyclopis mentem cœpêre, ſupino
Procubuit lapſu

Verùm qui aliter ſentiunt, vt rem, ita & rationem nobis fictitiam adſtruũt. Vinum aiunt anteriores cerebri partes perpetuò inuadere, Ceruiſiam poſteriores. Quaſi verò cognitione aliqua ferantur id genus potulenta: Aut huic quàm illi potiùs pateant aut occludantur, aliàs vndequaq; peruii, in cerebrum meatus.

IX. PROBLEMA.

CVr ebrietatis cauſam in vapores reiicimus? Quidni potiùs in potionis calorem cum Ariſtotele & Galeno?

Si quando hi naturæ genii cauſam ebrietatis eſſe calorem volunt, cauſam immediatam ſpectant, atq; inſtrumentalem, quæ vaporibus ineſt tanquam ſubiecto. Quidni verò cæterarũ etiam qualitatũ apud ipſos mentio eſt? Nunquid vigilias, deliria, furorem antea in ſiccitatem retulim⁹? Somnum, caſum, deprauatos motus, balbutiem aliaque ebrietatis Symptomata in humidita-

tem? Verum vt inter alteratiuas qualitates primas tenet calor, ſic & in ebrietatis productione. Emicat vtrinque præ cæteris vis caloris in agendo. A calidis porrò vaporibus hanc paſſionem induci colligitur ex eo manifeſtè quod calida quantumuis corpora niſi in halitus ſoluãtur ebrietatem nuſquam pepererint: Vti neque frigida qualis aqua ſimplex, aut Pſiſana, quantoſcunque ex ſe vapores exſpirarint. In priorib⁹ quippe deeſt vapor, in his calor, quæ ambo ſimul adæquatam proferunt ebrietatis cauſam. At hinc alterum emergit Problema.

X. PROBLEMA.

CVr Opium, Fauſel ſiue Areca, Hyoſcyami radix, & alia id genus frigidiſſima cùm ſint, inebriandi vim habent?

Si quæ de huiuſmodi ſimplicib⁹ perhiberi ſolent reuocare in dubium liceret, facilè me propoſitæ difficultatis plexibus ſola negatione expedirem. Verùm cùm ita proditum videam à

plerisque benè de re herbaria, atque in vniuersum de re medica meritis (è quorũ numero Manardus, & Garcias ab horto, qui vt simplicium naturam accuratè peruestigarunt, ita neque ebrietatis essentiã ignorarunt) consultiùs arbitror eorum explicare quàm confutare sententiam. Ebrietatem in duas species paulò antè partiti sumus, propria vna est cuius definitionem longo satis discursu absoluimus. Impropria altera & generalis, omnib⁹ illis affectibus communis quæ aliquam habent cum vera ebrietate similitudinem, & cum ipsa in pluribus accidentibus conueniunt. De ista posteriore præfati auctores audiendi. Illud hac in parte me potissimum implicat, cur vtentes Opio, & aliis generis eiusdem potenter refrigerantib⁹, tot actiones, tot extraordinarios motus exerant, qui à solo calore videntur proficisci? Facilis apud Mathiolũ eiusque asseclas esset responsio, si de solo Opio institueretur quęstio, is enim calidum esse Opium multis & probabilib⁹ contendit argumentis. Non magis foret ardua Serapionis sectatoribus si de

Areca, cui⁹ temperiem calidam eſſe volunt, cùm in aduerſum inſiſtant Neoterici. Verùm de radice Hyoſcyami quid prætexent? Norunt experti quàm leuiter ſe gerant in agendo, quàm promptè in mouendo qui illã deuorarint. Reſpondebunt opinor vi caloris, & calido loco excitari ab Hyoſcyamo vapores, calore ſurſum efferri & per calentes ductus, ac in cerebrum actu calidum. Harum partium contagione calorem aduentitium contrahere, qui quamdiu actu eſt, & prout actu eſt vim ſuam & facultatem exerit, contrariæq; qualitatis licet innatæ remoratur actionẽ, retundit, frãgit. Sic ab incaleſcentis aquę calore ſolo alterationem ſubimus, nullam à frigore, donec ad propriam & naturalem temperiem aqua reuocetur. Et ſanè ſi verè à Galeno eſt proditum ingeſtos in frigidum ventriculũ cibos, in frigidum chylum tranſmutari, quidni contrarium patientur à calido; maximè cùm ab vna calente parte in calentem alteram fiat progreſſus?

Habet (mea quidem ſententia) probabile aliquid hæc reſponſio, & cum

experientia consentit. Stupidas enim sopitasq; Opium reddit partes, quibus exterius admouetur: interi⁹ verò dum assumitur, corpus ad tempus excitat & ad varias promptum paratúmq; reddit actiones. Eiusmodi certè in agendo facilitas & promptitudo non nisi à calore. Addidi (ad tempus) non enim perpetuus est is effectus: Euincitur tandem atq; expellitur adscititia qualitas, vincit naturalis, suóq; tempore suas vicissim exequitur partes: Et quemadmodum elementa si quando ad contrarium suæ naturæ statum traducantur, forma superstite, propria & innata vi redeunt ad propriam innatamq; qualitatem: sic & quæ ex Elementis constant:

Naturā expellas furca tamē vsq; recurret.

Agunt verò prout actu sunt singula: quamobrem in actu contrario, contraria operantur.

Si cui facere satis non videbitur hæc solutio, per me respondeat licebit, innatum singulis partibus calorem, intrò cogi, ac vniri, quò se valentiùs ab exitiali venenati frigoris iniuria tutetur. Atque vt vnita virtus se ipsa dispersa est fortior,

fortior, ſic & vnione calor redditus auctior, promptiora efficit corpora.

XI. PROBLEMA.

AT quorſum in ebrietatis productione calorem accuſamus, cùm frigidos in vniuersũ ferè morbos procreet ebrietas, & ea maximè quæ à vino inducitur? hinc enim Apoplexię, Paralyſes, Epilepſię: conuulſiones, comata cataphoræ, lethargi, memoriæ lapſus, aliiq; affect⁹ ſexcenti quos medicorùm vulgus frigidis annumerat.

Equidem manifeſtum in vino calorem agnoſcit Galenus, ita dictante ſenſu, ſed immoderatam eius quantitatem frigidorum affectuum procreatricem facit, quæ calorem natiuum ſuffocat, à quo ſuperari non poteſt, eo prorſus modo quo ab oleo redundãte oppreſſa lucerna reſtinguitur, à nimia lignorum congerie, focus. Quærens Ariſtoteles, cur vino pleni rarò de caloris exceſſu conquerantur? cur frigeant potiùs, cur ſæpè perhorreſcant? Ait exuberantem vini copiã alterari à calido, ac ſuperari

non posse, ideoq; crudã illam atque in-
coctam perfrigerari, & ab illa corpus in
frigidam intemperiem trahi. Par vtri-
usque problematis conclusio, solutio
non valdè dispar, nisi quod ista materi-
em spectare potiùs videtur, illa efficiē-
tem causã. Nos vtriusque cõiunctione
perfectam assequemur quæsiti ratio-
nem: si dicamus fieri vix posse quin vi-
num haustum vberiùs, natiuum adoria-
tur, alteret, & imminuat totius corpo-
ris calorē. Ventriculi, hepatis, & cere-
bri maximè, hinc cruditatum prouētus,
quæ cùm à debili calore digeri absumi-
que nequeant, meatus occupant, ner-
uos, venas, & arterias opplent atque
infarciunt, Oeconomiam naturalem
funditùs euertunt. His accedit quod
delati in cerebrum vapores leui momē-
to in humorem facessunt, ea substantia
frigidiorem à qua expirant. Nam præ-
terquamquod suo temperamento fri-
gidum est Cerebrum (licet calidum ad
tactum sentiatur, vti & reliquæ interio-
ris corporis partes) duplici meninge
circumuestitur, solidoque cranio tan-
quam sepimēto quodam obuallatur

quibus (vt pote ſpermaticis partibus) frigida eſt temperies naturalis. Cum itaque reſolui penitùs in euanidas auras a antillo calore non poſſint elati fumi, exitu prę cranij denſitate intercluſo detinentur, denſantúrque in aquam, aut in viſcidũ, craſſũ, mucosũq; excremẽtũ. Hinc præfata malorum ſoboles, hinc frigidi quos retulimus morbi.

φοιτῶσι, φονον ϰ̀ κῆρα φέρουσαι

Naſcuntur, cladem exitiũq́; ferentes.

Pauca hæc circa theoriã problemata propoſuiſſe ſit ſatis. Plura ſuo ſibi marte effingẽt curioſi, quorum ſolutionem magna ex parte ab iiſdem principijs petent. Veniamus ad praxim.

PROBLEMATA PRAXIM ſpectantia.

CAPVT XIX.

Medicæ tractationes omnes ad praxim velut ad principem & primarium finem ordinantur. Medica omnis Theoria ſolam primò & per ſe intuetur ſanitatis tutelã, curationẽque

morborum. Quicunque curiosis quæstiunculis addicti, non aliò mentis aciem dirigunt, non alió discursus flectũt, quàm ad voluptatem, subtrahantur è medicorũ albo. Ne qua verò neglectæ intentionis vere` medicæ nobis inuratur nota, promamus aliqua conseruandæ valetudinis documenta, ex problematum penu, quorum θεραπείαν aggrediemur inferiùs ex professo. Quæcunque suauiter ingeruntur animis nostris; altiùs insident. Pergamus itaque problematice`.

I. PROBLEMA.

CVr qui labore, ira, vel quacunque tandem alia occasione incãdescũt ebrietatem facili⁹ incurrũt, & promptiùs? An quia calore in hepate, cæterisque partibus naturalib⁹, in humoribus, in toto sanguine concepto, promptiùs, maiore copia soluuntur in halitus assumptæ potiones, promptiùs, & grauiore impetu mentis arcem obsident & inuadunt vapores. Motum vaporum promouet, sanguinis spirituumq; ex feruore concitatio, venarum, arteriarum, quorumcunque ductuum

apertio, qua patulus eſt, ac hians in cerebrum appulſus.

An dicēdum eſt ſuperiores partes exercitio, flammis, æſtuario, incaleſcentes, diſpoſitionem ebrietati proximam contraxiſſe, cui ſi tantillum contuleris integra mox acceſſura ſit ebrietas? Maximè cùm ab his ipſis cauſis reſiccatæ particulæ vapores humidos auidiùs ad ſe ſe pelliciant.

II. PROBLEMA.

CVr qui à potu paſtum incipiunt in ebrietatem fiunt proniores, quàm qui à ſolidis?

An quia vētriculo vacuo, nullo præſente obſtaculo, vinum mox in Meſaraicas venas peruadit atque permeat? Mox rapitur in hepar, tam amici tam benefici liquoris auidiſſimum? Mox incaleſcit, imò æſtuat? Quid enim illius ardorem compeſcat aut attemperet? Non cōtrarij cuiuſquā permiſtio, non sāguinis qualitas, non ipſa viſceris temperies, quorum vtrumque ad feruorem concipiendum procliue. Con-

citato itaq; vehementi⁹ feruore efferuntur vapores feruidi, cerebrũ adoriũtur viribus integris, cerebri vim, omnemque actionem labefactant atque peruertunt, si non euertunt. Eandem ob caussam præmissum cibis vinũ conuulsiones parit, & deliria (si Galeno credimus) cum aliàs sæpè, tum maximè post longiorem abstinentiam. E contrà verò presumptis solidioribus cibis occupatus Pylorus, neque liberum vini effluxui sinit egressum: crassescit vinum atque retunditur illorum permistione ac veluti absorbetur: cohibẽtur vapores, suffocãtur aut nullo labore, exigui cùm sint, blando vẽtriculi calore dissipantur. Null⁹ iam reliquus ebrietatis somes, si quid fortè in cerebrum exspirat perexiguum mole, ac virtute planè imbecillũ est ac retusum: non aliter quàm ignea seminis synapi qualitas, assumptorum miscella penitùs infringitur, cuius actionem externæ partes illæsæ vix tantillum sustinuerint.

III. PROBLEMA.

CVr ex aureo vel inaurato vasculo potãtes Temetum citiùs occupat, quàm ex vitreo?

Quibusdam minimè recipiendum videtur quod supponitur: Quẽadmodum enim falsi notatur ex communi calculo credula nimium antiquorum Romanorum opinio existimantium calidi vini potũ ex Calcedonia Patera suauiorẽ esse (quorum imitatione nonnulli hoc tempore lactis aut aquæ ex fauentia potionum quàm ex vitro gratiorem putant) eodem modo duci illos imaginatione potiùs quàm sensu contendunt, qui ex auro citiùs quàm ex vitro induci ebrietatem autumant. Quoniam tamen pluries expertis aliter visum. Cur ita sit expendamus. An dicendum est auri splendore disgregari visum, dissipari animales spiritus, ex horum spiritum iactura, ex oculorum offensione (quorum magna cum cerebro præ cæteris externis sensibus est communio) functiones animales debi-

liores reddi, faciliùs temulentis vaporibus cedere in prędam virtutes animales? An potius accusanda ea mixtio quâ in deaurãdo vtuntur Aurifabri, tãquam cerebro inimica & infesta, vt pote quæ Antimonio constat & Mercurio.

IIII. PROBLEMA.

AN verum est ebrietate corripi illos prompti⁹, qui dilutiusculum, quàm qui merum potant? Ita sensit Aristoteles tribus rationib⁹ persuasus. Quarum prima est, dilutum vinum aquæ infusione tenuiùs euadere, indéq; expeditiùs loca plura angustioráque subire. Altera est merum minùs bibi posse, magíque vomitu reiici. Tertia merum vt pote calidius, & cætera coquere, & seipsum consumere, non item dilutum.

Harum rationem neutra satisfacit (ignoscant Aristotelici Manes) non prima: Neque enim quocunque vini genere aqua est tenuior, quare neque in vniuersum ratio, vti neque suppositicia admittenda. Secunda minimè ad rem

facit, nam cæteris paribus propositio audienda est, quæ positis imparibus ridicula fuerit, vel apud vulgares, & Philosopho prorsus indigna. Et quæso faciliùs ex multis dilutioribus poculis, quàm ex vnico meraciore inuitari crapulam quis non videt? Addo ego plurimos meraciore vino longè ampliùs delectari, dilutum ne gustare quidem velle, quare longè maiorem illi⁹ quàm huius copiam & auidiùs exhauserint, & diutiùs retinuerint. Tertia, Aristotelis ratio, quanquam verisimile habet aliquid, falsam tamẽ hanc consequentiam deducit: nempe, vt à dilutiusculo, sic à minùs generoso vino expeditiùs ebrietatẽ incurrere. Vt enim dilutum, sic & minùs potens (vt pote meraciore & potentiore frigidius) neque cætera coquere, neque consumere seipsum æquè ac istud potest.

Quamobrem ab Aristotelis sententia nos auocat ratio firmior, experientia certior summi vtriusque medicinæ parentis auctoritate confirmata.

Hippocrates quidem minùs à dilutiore vino tum vesicam, cum superiores

partes affici profitetur, minùs itaque ebrietate tentantur qui diluti⁹ bibunt, quò minùs superius partibus læduntur quarum est ebrietas. Eius auctoritati cùm in commentario, tum alibi passim subscribit Galenus. Et sanè testes appello experiẽtes viros qui pluries sunt experti, se à pari vini diluti, & meri portione longè disparẽ ebrietatis vim persensisse. Nam præterquamquod vini halitus vnda reprimit, eius pariter calorem moderatur. Compressa vtraque quam prætexuimus ebrietatis causa, quid mirum eius pariter effectum supprimi aut imminui? Dicẽt fortasse pro Aristotele nonnulli, tam parcam supponi aquæ quantitatem quanta infringendæ vini facultati satis esse nequeat, pro vehiculo tamẽ esse possit, vino saltem crassiori. Sed non video quî fieri possit vt à tãtilla aquæ perfusione tanta adsciscatur tenuitas partium, sed neque sic exiguam admittunt Aristotelis rationes, cùm ab ea manifestè supponant alterari vini qualitates, saporem videlicet & calorem. Scio respondere aliquos dilutum vinum pri-

ſtinam vini formam retinere, priſtinoſque cum forma vini effectus, aquæ pariter formam remanere ſeorſimque proprios exerere effectus ſed hi parùm Philoſophicè, à noſtris ſcholis explodendi : imo verò cùm à ſenſuum fide ſe ſubtrahant ſenſuum pæna plectendi. Demergantur in feruẽtis aquæ ſolium, experientur illicò quanto hæc interuallo ab ea ſeparetur quæ frigidæ permiſtione tepeſcit : ac tum fortaſſe iudicium proportione transferent ad dilutum vinum. Vel ex ipſo diluti ſapore de mero iudicium ferant quãtum enim vini ſapori aqua detrahit, tantum opinor & viribus : ac vice verſa quantum aquæ ſapori accedit tantum cæteris qualitatibus decedit à quibus is oriundus ſi vere dictum à ſapientibus orta de principiis atteſtari.

V. PROBLEMA

CVr vinum raptim confertimque magis ſenſim hauſtum minùs inebriat, pari licet portione ?

Nobiſcum hac in parte non omni-

bus conuenit. Quidam ita eſſe negant: nos aſſerimus, ratione, & experientia ſuffulti. Noſtra ratio eſt, vinum vt prompte confertimque ingeritur, prompte ac confertim cerebrum vaporibus impetere, quorum impetu premitur, mole opprimitur. Cum verò pedetentim ebibitur, ſenſim in cerebrum irrepunt fumi, ſenſimque, vt ſunt exigui cerebri, calore ante diſſipantur, quàm inducendæ ebrietati ſufficiant. Si quando tamen crebra hauſtuum repetitione hæc inducitur, id nec tam citò fit, neq; tanta vehementia. Vtrumque in Germanis frequenter experimur, quos paulatim ſorbillantes & pitiſſantes integras plerumque noctes trahere per ſuos minutos, & rorantes hauſtulos videas.

Nec partem ſolido demere de die,

vt loquitur Poëta. Verùm ſi quando Threïcia agendum amyſtide ſi quando ad larga vaſtaque inuitentur pocula, iuuátque.

Ποτήριον ἦ κοῖλον
Ὅσον δύνη βάθυνον

Πιεῖν πιὼν ἀμυστί *Anacreon.*

Scyphum, cauum, peramplum,
Quantùm licet profundum
Potare simul semelq́;
Mox sepulti vino concidunt.

VI. PROBLEMA.

CVr nonnullis inter bibendum quandoque soluitur ebrietas? Huius ex præcedenti problemate ratio petenda: illud annotandum inprimis, non nisi diuturna compotatione succedere ebrietatis solutionem, sed neque omnibus, at iis tantùm quibus cerebrum firmius. Supponam⁹ itaque valido cerebro quempiam prima statim mensa amplis & frequẽtibus poculis decertantem, protinus quasi inopinatò vino captum, mox primos illos æstus moderari, ac lentiùs & minutioribus cyathis in bibendo progredi; soluũtur sensim primi illi vapores quibus obraptim ac violenter occursantibus obsistere caput non potuit, à vaporum solutione ebrietatis solutio. Si qui ex posterioribus congressibus tolluntur

fumi, non ea ſunt copia, non ea vi, vt præcedentium actionem promoueant aut ſuſtentent, quin potius tenuiores cùm ſint, ſua tenuitate prioribus exitum præmuniũt, eoſdemque natiuo calori expellenti obſequentes reddunt & ſequaces.

VII. PROBLEMA.

CVr aliqui longè facilius & promptiùs Temeto capiuntur quàm cæteri? Cur etiam grauiùs?

Horum effectuum ratio ex triũ cauſarum aliqua, vel pluribus petenda eſt. Nempe vel ex ipſa potionis vi, vel ex bibentis conſtitutione naturali, vel ex affectionibus quibuſdam quæ ex accidenti intercidunt, cuius generis plures hactenus enumerauimus, vt ſi quis ab immoderato calore ex animi perturbationibus, aut violẽtis corporis motionibus contracto, potioni mox indulgeat: ſi à potu paſtum inchoet, ſi confertim confeſtimque bibat largiùs, ſi in deaurato vaſe. Potulenti non minùs habenda ratio: Non enim à ceruiſ-

ſia tam promptè quàm à generoſo vino generatur ebrietas. Sed neque omnia vini genera parẽ hac in parte vim conferunt. Vinum Mareoticum (cui à Mareotide palude inditũ nomen) vix tantillũ quàm aqua ipſa eſt ad ebrietatem efficacius. Inerticulam è nigris appellauère (inquit Plinius vbi de generibus vitium loquitur) iuſtiùs ſobriã dicturi, inueterato præcipuè commendabilem vino, ſed viribus innoxiam, ſi quidem temulentiam ſola non facit. E contrario vinũ Samagoreum Ariſtoteli nuncupatum tantæ virtutis fuit, vt etiam diluti tres cotylę vltra quadraginta homines ferantur inebriaſſe. Sed de his inferiùs.

Iam quod attinet ad naturalem bibentium diatheſin, certum eſt eos qui ventriculo ſunt, cęteriſque naturalibus partibus præcalidi, venis amplis, & latis, patuliſque infernè ſurſum ductibus: capite, infra reliquorum membrorum proportionẽ, exiguo, cerebro calẽte, & quacunque ex cauſa imbecilli; quiſquis (inquam) talem corporis temperiem & ſtructuram eſt ſortitus, longè ad

ebrietatem inuenitur paratior, quàm qui contrario modo ſunt affecti. At ſpectandum in primis cerebrum cuius talis plerumque vel ab ipſo ortu vel ex accidenti dyſcraſia, reliquis tamẽ partibus prorſus illæſis, qualis ne vel minimo vaporum inſultui obſiſtat, quamob cauſā vini vſum pueris & nutricibus interdicit Ariſtoteles. Nihil enim refert ipſine bibant, anne nutrices, niſi dilutum aqua, modoque adhibito præbeatur. Vinum enim (inquit) reſpirationum halituũque plenum eſt, at nigrum maximè; ſic verò plenæ ſunt alimenti ſuperiores puerorum partes, vt quinque menſibus ceruices minimè inflectant: Atque vt valdè ebriis, ſic pueris magna humoris copia ſuperas partes capeſſit. Sed neque ſeniores vini liberaliorem potum ſic innoxiè, vti iuniores perferunt. Atque inter iuniores non pauci magis & celeriùs quàm ſui coætanei à crapula offenduntur, prout capite magis firmo ſunt aut infirmo, probè aut malè temperato atque conſtituto temperamenti namque contrarietas halituũ vim retundit ac infringit.

Ideóque mulieres propter intẽperiem cerebri frigidam minùs esse in ebrietatem pronas, scripsit Aristoteles. Qui verò sensu exquisito sunt prędıti, oculis, totaque facie rubicundi, in loquendo prompti ac in agendo, in iram procliues, (quæ præcalidi cerebri signa esse solent) ijdem sunt ad temulentiam parati, nisi fortasse prægrandi sint capite. Æqualem leui momẽto incurrunt cladem quibus inflicta in capite periculosa vulnera, qui doloribus capitis aut alijs eiusdem affectibus sunt obnoxij. Omnium maximè quibus amplum abdomen, pusillum caput & calidum.

In parua vasa si meri multum iacis
Subuertit intus omne quàm facillimè.

Studiosum hoc loco monitum velim lectorem diligenti examine opus esse, & iudicio exacto, ne quis facilè aberret in sententia ferenda circa ea quæ hactenùs proposuimus.

Quæ sequuntur in problematum censum referri possent, at quoniã aliquantò accuratiùs in vtramque partem disputantur, placuit in quæstionum, aut peculiarium capitũ album adscribere,

quorum non ingrata erit decisio, & componendis moribus non incōmoda si mentem adhibebimus.

VTRVM IN VINO SIT *luxuria.*

CAPVT XX.

QVanquā non nihil à nostro proposito aliena videtur hęc disquisitio, non tamen omninò præter rem instituta apparebit in progressu. In ea decidenda varij in varias sententias feruntur. Qui affirmatiuam tuentur partē nunquam hominem sic in Venerem procliuē esse asserūt quàm cùm multo redundat eoque laudato alimento, à quo multum fœcundum semē elicitur; putereà cum voluptates sectatur ab omni molestia & sollicitudine prorsus immunis. Cùm itaque vinum cor exhilaret, cùm vberrimam eamque laudabilē alimonię copiam proferat, laudatę verò alimonię copia seminis vbertatē pruriētibus spiritibus turgidam; quò vberiùs haurietur, eò feruidiores

accendet æſtus venereus. Audiam⁹ queſo (ſi Iocoſa non aſpernamur) quàm bellè vtriſque dotib⁹ Bacchum inſtruat Baccho addictiſſimus Anacreon.

Ἀναμέλψομεν δὲ Βάκχον [inquit]
Τὸν ἐφευρετὰν χορείας
Τὸν ὅλας ποθοῦντα μολπάς,
Τὸν ὁμότροπον Ἔρωτι,
Τὸν ἐρώμενον Κυθήρης.
Δι' ὃν ἡ μέθη λοχεύθη,
Δι' ὃν ἡ χάρις ἐτέχθη,
Δι' ὃν ἀμπαύεται λύπα,
Δι' ὃν εὐνάζετ' ἀνία.

Bromium patrem canamus.
Chori lyæus auctor,
Cantus amat iocóſque,
Par moribus eſt amori,
Baccho Venus incaleſcit:
Sata ebrietas lyæo.
Ceſſant per eum dolores,
Per eum quieſcit angor.

Confirmat hos ebrietatis effectus propria paſſim experientia.

Μεθύων θέλω χορεύειν,
Μεμυρισμένος δὲ παίζειν
Μετὰ καὶ καλῶν γυναικῶν.

Amo ebrius choreas

Vnctú que lusitare
Cum bellulis puellis.

Imo verò non ad actus solos Venereos stimulos addit crapula, sed & Venerea prouocat insomnia, si experto eidem Anacreonti credimus.

Anacreontis experientiam cõmuni calculo approbant cæteri Poëtæ. Non aliam ob causam suum illum Priapum (quem hortorum deum custodémque ac Bacchi Venerisque prolem fabulantur) monstrosa genitaliũ partium magnitudine sibi effinxerant, quàm vt significarent portentosam ab immoderato Temeto libidinem excitari. Proximus enim à libero Patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit (ait Valerius Maximus) cui⁹ auctoritati subscribentes antiqui vinum Cupidinis delicias, lac Veneris, & amoris fomentum, fermentúmque appellare consueuerũt, cùm cernerent sine Cerere & Baccho Venerẽ frigere, mox verò vt in ventre vinum efferuescit, supernatare, & attolli spumam Cupidinis, vt loquitur Diuus Hieronimus

Istud non obscure significant Baccho

vbique ferè adſtites fœminæ, olim etiam eius ſacrificiis dicatæ. Verùm exemplis res euadet illuſtrior. Narrat Diodorus Siculus in montibus Eriis (montes ſunt Siciliæ & aſpectu iucundiſſimi, & lectiſſimarum frugum feraciſſimi, toti namque vitibus & arborib⁹ domeſticis inſternũtur) in illis, inquam, montibus natum ac educatum narrat Daphnin iuuenculum venuſta forma & liberali, cuius aſpectu ſaucia Diana.

Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.

(Poëtæ verbis vtor)

Nec mora intrò conceptos, ac veluti latentes ſub cinerib⁹ ignes diſſimulare non ſinit ardoris vehementia:

Sed nec tanta eſt victoria victæ.

Vritur Diana: interiorē Dianæ flammam colligit Daphnis ab exterioribus ſcintillis, friget ad illos amoris æſtus, Puellæ formam & venuſtatem negligit & affectum. Indignatur Diana, minatúrq; pro contemptu cœcitatē ſi quam alteram Daphnis attrectaſſet. Continet ſe ad aliquod tempus Daphnis Dianæ vltricis metu, dum tandem vino vict⁹, vincitur & amore: Regis cuiuſdam fili-

am temulenter deperit, ſtuprat.

Μετὰ γὰρ νέον ὁ Βάκχος
Μεθύων ἄτακτα παίζει.
Se namque cum iuuenta
Gerit ebrius inſolenter.

Quis exitus? Daphnis occœcatur.

Proditum quoque hiſtoriarum monimentis vino incaleſcentem Macaræum nefaſta ſimul Venere incaluiſſe, ſororem propriam horrendo inceſtu impręgnaſſe. Scribit Plutarch⁹ impuriſſimum illum DictatoremScyllam ex crapulæ Carybdi in prauæ libidinis Scyllam deuolutum. Non diſſimilem Maximinus Chriſtianæ temperantiæ & contin ētiæ, vt religionis hoſtis acerrimus, ab intemperantia ad incontin ētiam fecit progreſſum, imo prolapſum. Miſſos verò ad Amyntham Macedoniæ Regem legatos Perſarum vinum perdidit, cùm, incitata poculis Venere, Principes Macedonum fœminas impurè laceſſerent. In Pyrithoi nuptiis Centauros ad ſtupra, virginúmq; raptus adegit ebrietas.

Verum quod in ſingulis venamur id in vniuerſis demonſtrare licet. Antiqui Inſularum Balearium incolæ ſcriptis

notantur antiquorum tanquam Baccho Veneríque simul deuotissimi. Et inter fœminas paucas omninò reperias impudicas simul & sobrias. Nam, & Gnathena, & Hoea, & Nanuium, & Lais, & famosæ id genus pellices sexcentæ vulgò temulentiæ damnãtur. Sic arctè communi veluti nexu ambo sociantur, vt diuelli se inuicem vix vnquam patiantur. Quamobrem iurè exclamauit Ouidius.

Cum Veneris puero non malè Bacche facis.

Gliscit ad largam meri potionem libido, vt ignis oleo: verbo dicam, Omnium perturbationum fons est intemperantia, quę est à tota mente, etiam à ratione deflexio, sic auersa à præscriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi, nec regi, nec cõtineri queant, neque mente rectè vti possimus multo cibo & potione completi; Ita disertè Tullius.

Si quem profana ista non mouent, audiat sacrum gentium Doctorem seriò monentem Ephesios ne se vino capi sinant, in quo est luxuria. Id quod à sapiente multis ante proditum seculis

acceperat.

Ecce tibi priorem ſententiam Poëtarum fabulis & teſtimoniis ſuffultã, confirmatam exemplis, Philoſophicis rationibus & Medicis firmatam, Sacrorum Librorum auctoritate conſtitutam ſic firmiter, vt reuocari in dubium minimè poſſe videatur. Plerique tamen contrarium æſtimant Ariſtotelis auctoritate validíſque rationibus perſuaſi. Hi non modò ebrios Veneri exercẽdæ ineptos, ſed ieiunos ad eandem eſſe putant paratiores. Vnde prandere largiùs iubent, cœnare parciùs: Eorum rationes expendamus.

Omnium naturæ operum miniſter, idémque potentiſſimus effector eſt naturalis calor, frig⁹ non ingreditur opus naturæ; Omnium functionum naturalium nulla viuidiorẽ poſtulat calorem, quàm ea de qua exorta eſt quæſtio. Verùm à vino ſuffocatur calor, aliò diuertitur, rapitur: hinc concupiſcentiæ reſtinguitur ardor ac emarceſſit, concubitus potentia prorſus elangueſcit. Calorem quidem vinũ ſuffocat ſua mole, eundem à partibus generationi dicatis diuellit,

diuellit, diffunditq; in omnem corporis ambitum, ſed in ſuperiora præſertim, ad quæ ſumma ipſi innata propenſio, calorem denique rapit diſſoluendo, qua ratione à maiore foco minor abſumitur. Quidquid coctionis explendæ gratia naturæ ductu reuocari ad ventriculum calorem neceſſe eſt? Interim feriãtur ſubiectæ partes circa quas noſtra verſatur oratio, imò ſopitæ iacent, & effœtæ: nullus Orgaſmo, nullus Cupidini locus viuificis ſpiritibus in culinam cõfluentibus. Interim ab incoctis cibis & potionibus crudi halitus vndequaque ſparguntur, grauitas toto corpore perſentitur & membrorum langor; abſcedunt ſenſus motuſque, vt ne vrente quidem flamma excitari poſſint Ebriaci, aut ſi excitentur, incendio ſe ſubſtrahere non poſſint. Quis tum ad Venerem pruritus? Quis ad pruritum Venereum ſenſus? Quis ad ſenſum motus? Alexandrum legimus infra ætatis & conſtitutionis ſuę ſortẽ Veneri fuiſſe deditum, non aliam certè ob cauſam quàm quod crapulæ indulgeret. Is Callixenem puellam (elegantem corpore,

ſuauem, & venuſtam, ſed animo, ac praua libidine fœdam, ac deformem) apud ſe concubantem intactam quam non ante eſt adortus (ita ſegnis erat ad Venereos amplexus) eius blanditiis, ad cõgreſſum incitaret. Trita ſermonibus omnium Holofernis hiſtoria: Is cùm caſtiſſimam Bethuliæ viduam efflictim deperiret, luxum ſpirans & luxuriam, venerem ſibi cõciliaturus Baccho primum litandum propoſuit, nempe quò fieret ad illam concitatior. Sed ferinum efferatæ Cupidinis feruorem Bacchus compeſcit, ſomnum pro amoribus conciliat, iuſtam vindicis gladii cuſpidem ante perſentit Holofernes, quàm iniuſta præda potiatur.

Ecce tibi producta à contrariæ ſententiæ aſſertoribus ſingulorum exempla contrariis exemplis confutata. Iam quod in ſingulis intuemur, licet in integris nationibus experiri. Quæcumque temulẽtiæ magis obnoxiæ ſunt nationes, eædem minùs ad Venerem ferũtur. Conferamus ſi lubet Germanorum, Polonorum, Dacorum, Belgarum cæterorumque Septentrionalium

Epicuream intemperantiam cum Italorum, Hiſpanorum, Africanorum, & Meridionalium ſobrietate: viciſſimque iſtorum ſalacem incontinentiam, cum illorum caſtitate. Concludem⁹ opinor, ſobrios quàm madidos eſſe ad Venerem aptiores. Horum contrariorum effectuum quotidiana experientia mutui probri Germanis ac Italis occaſionem dedit, hoc Itali in Germanos.

Germani norunt quoſuis tolerare labores,
O vtinam poſſent tam benè ferre merum.

Hoc Germani in Italos.

Nos veluti vinum, ſic vos Venus improba vexat,
Lex Veneri impoſita eſt Iulia, nulla mero.

Tacitus hoc loco præterire non poſſum quod de ſua Gallia nuper à Montano eſt proditum (vt in componendis moribus noſtri in poſterum euadant cautiores) Galli, inquit, magis magiſque in dies modum in vino ſeruant, non quò poſteros ab intemperantiæ vitio ſuo exemplo ſubducant, & maioribus ſuis præripiant ſobrietatis laudem, ſed quia Venereis amplexibus (Veneficis

certè plexibus) ſunt irretiti : Baccho cum Venere minimè conuenire pluries experti, Bacchum deferunt vt Veneri ſeruiant.

Ecce tibi retortas in priorem ſententiam rationes, auctoritates, experientiam, exempla, quibus ſua vis eſt in perſuadendo, non minor quàm contrariis. Ateò difficilius videtur in vtram ſecedas partem eligere, quò acriùs in vtrāque decertatur. Mediā teneamus viam, de ſuo quiſque iure cedat aliquid, fœdus inibimus, diſſentientes opiniones conciliare non magni eſt laboris, modò quid ſuis argumentis vtrique conficiāt attentè perpendamus. Has vtrinque concluſiones elicio.

Ordinarius & liberalis vini potus (modò ne modus abſit) Venereas accendit faces; Ordinarius vini potus præter naturam largior, præterq; modum, Venereos compeſcit æſtus eòque magis quò vberius hauritur.

Bonum vinum liberaliter, at moderatè ſumptum calcar eſt, ac veluti ſtimulus ad incontinentiam: At incontinentiæ frenum arctiſſimum ebrietas.

Quanquam ſoluta crapula (modò ne qua inde concepta ſuperſtes ſit labes, quales hæ frequentes , cordis morſus, faſtidium ciborum , capitis & ventriculi grauitas & dolor) ſoluta, inquam, crapula reuiuiſcit Venus atque incaleſcit, præ vbere & calido meri luxuriantis fetu, cuius aſperſione ſanguis fit auctior atque feruentior , adaucto atque incaleſcente ſanguine turgeſcunt ſpiritus, prolificum adaugetur ſemen, titillat, pungitque acrius : hoc indicio, quod maximè vegetam & numeroſam præ cæteris nationibus prolem edunt Germaniæ incolæ. Iſtud D. Paulum monere voluiſſe autumo. Et quoniám Poëtarum auctoritatem hactenus admiſimus, promamus ex eorumdem penu propoſitæ difficultatis ſolutionem. Ita reſpondet Naſo doctor Naſulus in vtroque.

Quid tibi præcipiam de Bacchi munere quæris?
Spe breuius monitus experiere meos.
Vina parant animos Veneri, niſi plurima ſumas,
Et ſtupeant multo corda ſepulta mero.

Nutritur vento, vento restinguitur ignis
Lenis alit flãmas, grandior aura nocet.

VTRVM IN VINO VERITAS.

CAPVT XXI.

SCriptum reliquit Iosephus Darium Persarum & Macedonum Regem cùm insomnis recumberet, tres ex suis custodibus iuuenes qui tum regiæ custodiæ ex officio præerant accersitos, vt familiari colloquio vigiliarum sibi tædium adimerent rogasse, Quodnam omnium fortissimum iudicarẽt præmij spe illi proposita qui responderet acutiùs. Primus vino primas detulit. Alter regiæ potestati, Tertius vim in fœminis posuit haud mediocrem, sed in veritate omnium supremam. Delata res ad magistratus & consulares viros vt sententiam ferrent, communi suffragio verissimè de veritate pronuntiatum approbarunt. Meo certè calculo (si vera horum sententia) sua laude carere is non debuit qui pro vino dixerat: In vino namque veritas (inquit prouerbium)

& Plinius vini filiam vocat veritatem. In cuius rei fidem Baccho vt Apollini tripodem antiqui propriam eſſe voluerunt, eandemque in æde Bacchi collocari pro ſymbolo veritatis. Quidam non tripodem, ſed tribus pedibus ſuffultam menſam fuiſſe aiunt. Alij vaſculum, aut Cacabum æneum, illi ipſi menſæ appoſitum. Vaſa porrò ænea ex quibus oracula reddebat Apollo Delphicus, Duûm perhibentur generum. Quædam dicebantur balneatoria quæ admouebantur igni, Alia formabantur in calicis aut crateris formam, in quæ vinum infundebatur, & hæc aptiora veteribus putabantur pronuntiandæ veritati. Sacra circum initia ſoli Apollini fuère id genus vaſcula, ſed mox in Bacchi ædem tranſlata, vtrique Deo communia, vt cõmunis in vtriuſque oraculis veritas. Quin etiam apud Ligures Thraciæ populos tẽplum olim Baccho erectum fuit, in cuius intimis receſſibus Oracula petebantur, ſed ab ijs ſolùm qui perbellè vino indulſiſſent. Vnde fortaſſe motus Ariſtoteles vnicam in Apolline & Baccho diuini-

tatem agnouit: Re, inquam, & facultate vnicam, ſolo nomine diſtinctam. Hæc de vino antiquorum opinio, hic præfati prouerbij ortus, *In vino Veritas*. Mentiri enim aut diſſimulare vinum neſcit, quæcunque in imis præcordijs altè ſunt recondita, Quæcunq; in mente arctius concluſa foras emittit, recluſoque ſilentij ergaſtulo in apertum profert. Proditum à nonnullis quendam in Æthiopia lacum inueniri quadrata forma, centum ſeptuaginta pedum latitudine, odore ſuauiſſimum, rubellum colore, virtute prorſus admirandum, hunc enim ſi quis guſtarit protinus mentis fit impos, & palam fateri cogitur quicquid deliquit in vita. Eius equidem defectu nihil à quoquam excogitari poteſt vino efficacius ad extorquendam veritatem. Tormenta plerumque negligunt malefici quantumuis grauia, Iudicum omnem induſtriam eludunt, quò ſe à morte vindicent, legibus conſtituta. Alij cùm inculpatè ſe geſſerint falſi criminis reos ſe conſtituunt, metu tormentorum: mori, quã torqueri malunt conſultiùs arbitrati.

εἰς ἅπαξ θανεῖν
ἢ λὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς
Semel mori
Quàm grauia totis mala diebus perpeti.

Agere cum vtriſque licet humaniùs, ſi non æquiùs fortaſſe: Ducantur ad pocula (at ne cogantur tamen, aut inebrientur, vtrumque Chriſtiana lex vetat & Ciuilis) cùm incaluerint mero, ſenſim veluti familiari colloquio varia proponantur: Ipſi de ſe nihil metuentes, nihil de aſſidentibus ſuſpicati, reſpondebunt confidenter ad ſingula, tandemque multiplici propoſitorum varietate impliciti ea effutient, quæ ſobrij ne cogitarint quidem, veriti ne externo indicio aliquo latebras mentis aperiant. Non alia induſtria Flauius Ioſephus militis cuiuſdam ab hoſtibus ad ſe miſſi mentem integrè explorauit. Eadē induſtria in explorandis Germanorum Legatis ad Aurelianum Imperatorem miſſis vſus eſt Bonoſus Hiſpalenſis. Tāta verò in compotationibus verborum licentia multa ſæpe fundit inopinatò, quorum poſtea pœniteat, niſi eos nactus ſis ſodales, qui aut meminiſſe

nolint, aut tacere didicerint. Vnde natum prouerbium. Odi memorem compotatorem. Quò alludens Martialis, vbi conuiuij sui descripsit apparatum, sic tandem concludit.

Accedent sine felle Ioci, nec manè timẽda,
Libertas, & nil quod tacuisse velis.
De Prasino cõuiua mẽs, venetoq; loquatur
Nec facient quenquã pocula nostra reũ.

Quanquam non desunt qui, cùm deprauata videant ebriorum iudicia, nihil in eorum oratione cõstans firmumque mẽtes in illis vt corpora dubiè flecti, raptimque huc illuc distorqueri instar Eurippi fluctuantis, ex tam vario incertoque raptu certi nihil elici posse contendant. Diuus quidem Gregorius triplicem gulæ sobolem agnoscebat: insanam alacritatem ad ineptias Battologiam, & intellectus impotentiã. Anacharsim ferunt cuidam in conuiuio exprobranti quod deformẽ duxisset vxorem, ingenuè ita esse confessum: sed mox velut ad se reuersum, conuersa ad famulum adstantem voce iussisse, multum mihi funde merũ puer, idque optimum quo mihi formasa euadat vxor.

Qua oratione tacitè quidem, ſed apertè ſignificauit, larga meri potione ſenſum iudiciumq; labefactari, ſibi pro Adonide Therſitẽ, pro Therſite Adonidẽ effingere. Et horũ quidẽ recipiẽda, non tamen reiicienda, penitus priorum ſententia, ſed adhibita interpretatione declaranda. Neque verò putandum eſt prioris ſentẽtiæ fautores voluiſſe, vino ſic in vniuerſum ineſſe veritatem vt quæcunque ab ebriacis dicuntur pro veris & indubitatis ſint habenda; Ac ne tum quidem mentiri eos poſſe credant, cùm falſa rerum externarum, & internorum fantaſmatum imagine deluſi, prout falsò & ſiniſtrè de obiectis iudicant, ita vt loquuntur. Si qui ita ſentiunt, abſunt longiſſime à veritatis ſcopo. Verùm ſic accipiendum illud prouerbium, ex cuius intellectu tota pendet difficultatis ſolutio, in vino veritas: hoc eſt aliquã ſemper à vino veritatem exprimi: rem ſigillatim explico triplici cõcluſione: prima eſt quacunque copia ſumatur vinum foris ſe ſe prodit, latere intrò nequit. Secũda concluſio: vinum potantis mores aperiet.

Postrema Arcanum semiebrio nullum est, neque dissimulare is potest, neque falsa pro veris adstruere.

Circa primam mihi Poëta Comicus auctor & testis, hæc eius verba

Celare Pheidia
Exceptis duobus omnia poßit quispiam.
Nimirum vinum si quis adbibit, & amore correptus est.
Oculi quidem ambo illa prorsus indicant,
Atque etiam oratio: vt qui negant
Illis potißimum signis innotescat plurimis.

Equidem & in aliis quibusdam, & in isto quoque, amori cum vino non malè conuenit: Quam ob causam Βάκχον ὁμόἶροπον Ἔρωτι vocat Anacreon. Hoc est, Bacchum similem moribus amori.

Vno namque modo vina Venusque nocent.
Vno etiam modo prosunt.

Iuuat vterque & inculpatam sanitatem tuetur, ac suauiter afficit quamdiu seruatur modus. Nihil vtroque molestius, nihil deterius valetudini, nihil magis aduersum infestumque sensui si modus absit.

Vt Venus eneruat vires sic copia Bacchi,

Vt tentat gressum, debilitatque pedes.
Vina Venusque
Pracipitant celeres in Phlegetonta vias.

Horum pariter alterum quacunque arte tegas accusant gesticulationes, produnt oculi, testantur facies, indicat oratio. Iaceat quispiam sopitus vino, quis ebrietatem summam non depræhendet? Quæ si nondum sic altè sensus animosque occupet, quot indiciis innotescet?

Quid non ebrietas designat? operta recludit.
Spes iubet esse ratas, in prælia cogit inermem.
Fœcundi calices quem non fecêre disertum.

Οταν ὁ Βάκχος εἰσέλθη
Εὕδουσιν αἱ μέριμναι,
Δοκῶν δ' ἔχειν τὰ Κροίσου,
Θέλω καλῶς ἀείδειν (de se inquit Anacreon)

Statim vt subit lyæus
Abit fugax Erynnis,
Lætusque canto, Crœsi
Ceu possidens Talenta:

Et hæc quidem aliæque id genus vini

exuberantis vix fallentes notæ. Moderata verò potio non ita promptè quidẽ detegi, ſed neque tegi penitus facilè poteſt. Mos erat antiquis deoſculari fœminas, quanquam non ita promiſcuè vt nunc in Gallia, marito ſolùm & conſanguineis id iuris erat, vt ex mulierum ſpiritu explorarent nunquid illæ cautum legibus Temetum guſtaſſent. Hæc quoad primam concluſionẽ. Ad ſecundam quod attinet, nulla ex re iudicium de morib⁹ quam ex vino certius; non alia, quacunque tandem actione, meliùs quàm bibendo innoteſcit hominum conditio, dicebat Plato ferrum igne probatur (inquit Eccleſiaſtes) & cor ſuperbi aperit ebrietas. An quiſquam eſt in maledicẽtiam pronus, atque in conuicia, faſtu intumeſcens, in verbis procax, in agendo impudens? Protinus agnoſces in vino faſtum calumniam, procacitatem, impudentiam. Periandrum ſeriò monebat Pittacus ab ebrietate abſtineret, ne proderet qualis eſſet. Antiquis Vaſconibus olim mos fuit cùm generi delectũ facerent eum ad pocula, vt Septentrio-

nales ſolebant ad Scacchia, tanquam ad Lydium lapidem ducere. Equidem vt aqua pura & nitida exteriorem corporis formam, ita & vinum habitus motuſque animi internos ad viuum exprimit. Mirantur inter Philoſophos nonnulli tot tamque varios, tam inter ſe contrarios effectus à vino produci. Quoſdam à meri potione fieri alacriores, & viuidiores: alios contrà melancholicos & ſtupidos. Illos in vigilias, hos in ſomnum propenſos. Cauſam in vino quærunt (at parùm philoſophicè) vna vtrobique vini actio, multiplex pro diuerſa patientis diſpoſitione affectus. Intrò latentes habitus vinum deducit in actus euidentes, variè, pro varia cuiuſque natura. Sic vna eademque caloris actione ſol limum ſalemque indurat, ceram emollit, glaciem liquat, vt ſua cuiuſque ſubiecti eſt cõditio. Seuerè cum ſeueris Lacedemonijs agebat Alcibiades, paucis vt illi contentus. Cùm delicatulis Ionibus, molliter & ſplendidè: cum Temulentis Thracibus, temulenter. Ita ſe ad cæterorum genium componebat. Parit

modo peculiares cuiuſque mores vinũ induit. Cùm enim vehementi quâ pollet facultate, humores omnes violenter exagitet, agitatis humoribus oritur in animis & corporibus ea perturbatio ad quam ſingulæ humorum ſpecies inclinant & propendent. Hactenus de moribus. Nunc vltimum nobis examinandum ſupereſt de diſcurſu, ex quo in vino veritatem ineſſe deduximus: Et meritò, iam enim paulò antè verborum licentiam retulimus inter ebrietatis notas. Equidem ſi (quod Phyſiognomi profitentur) legere in fronte licet quicquid deriteſcit in mente certiſſimum animorum iudicium ex ſermone depromemus, cum ſermoni quã fronti longè potior cum animo ſit conſenſio. Socrates roganti cuidam vt de filio ſuo iudicium faceret, accerſito puero, loquere, inquit, puer, vt te videam. Internæ diſpoſitionis cognitionem ecce vt philoſophus ex auditu capit, internam pueri faciem ex ſermone tanquam ex ſpeculo contemplatus. Cùm itaque ſermone abutatur ebrietas tanquam ſibi familiari & pro-

prio ad internas, quas concitat motiones exprimendas instrumento, vt variè iactatur animus, ita & lingua. Imò verò iactationis impetu concussus anim⁹, sui immemor, rupto sapientiæ sigillo clauum abijcit, interim lingua veluti excusso freno liberè diuagatur, & nullius addita imperio, quicquid æstuantis vini feruor exprimit ex intimo cordis sinu, ad se pellicit & in auras profert, ac quemadmodum mustum in dolio, sic vinum efferuescens in corpore quicquid in imo subsidet sursum impellit, confractoque demum repagulo foras violenter excutit. Vnde prouerbio locus etiam apud vulgares, illud ebrio est in ore quod sobrio latuit in mente. Libasse super linguas antiquos è cœnis abeuntes annotauit Athenæus atque id genus libationes ad Mercurium pertinuisse: non, vt postea, ad Iouem adultum. Nam Mercurio tribuũtur linguæ propter interpretationem; Eundemque somni præsidem esse volunt, inde factum quod instante somni tempore linguas in Mercurij honorẽ adolerent Iones, vel, vt alijs placet,

Attici, quod linguæ & verbis parcant qui ſomnum petunt. Verum rationem aliam attexunt nonnulli quæ magis è re noſtra eſt, nempe linguas ideo amburi ſolitas, vt perperam dictorum in conuiuio labes inuſta expurgaretur (adurebantur enim in fine conuiuij) vel vt ſignificaretur licentioſè inter compotationes prolata perpetuo ſilentio tegenda. Et hæc quidem interpretatio, meo quidem iudicio, libationi propoſitæ perbellè quadrat, quæ non ex aqua ſed ex vino conſtabat ſuper linguas in ignem coniectas effuſo. Iſtud ex Homero colligas, qui tamen id genus libandi non Mercurio, ſed Neptuno cæteriſque dijs immortalibus deſtinat. Eius hæc ſunt verba.

Ἀλλ' ἄγε, τάμνεται μὲν γλώσσας, κεράασθε
  δὲ οἶνον,
Ὄφρα Ποσιδάωνι καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι
Σπείσαντες, κοίτοιο μεδώμεθα.

Verũ age diuiſis linguis affundite vinum
Neptuno, reliquiſq; dijs libamine tandem
Effuſo, lectum meditemur

Vino inquam pro libamento priſci vtebantur, vt à quo effrenatæ loqua-

citatis, impet⁹ab eodem impura verborũ illuuie quoquo modo elueretur. Diuisæ vero linguæ & additæ flammis, quò perpetua obliuione delendã mero perfusæ linguæ importunam lasciuiam indicarent, quæ vel aperto capitis periculo liberè effutit quicquid in buccam venit. Concludendum itaque cum Plutarcho limpidissimas ad subeunda cordis penetralia nobis à vino prætendi faces, nullas ad intuenda cordis latibula vino patentiores fenestras Æsopo fuisse expetendas. At vereor ne in depingenda Ebrietatis loquacitate, fiam ipse loquacior. Quamobrem supersedeo pluribus, ad ebriositatem venio, quæ ebrietatis est soboles cum ipsa ebrietate nihilominus exorta, de cuius antiquitate dicam in primis.

ANTIQVISSIMVM ESSE temulentiæ vitium.

CAPVT XXII.

IVstè & prudẽter cautum olim à Solone fuit ne quis in demortui fa-

mã inuolaret, quid enim iniuſtius quàm memoriam eius maledictis laceſſere, qui ſe aduerſus maledicentiam tueri non poteſt? Quid magis inhumanum quàm exiſtimationẽ, quæ ſublato corpore ſola ſupereſt à mortis iniuria prorsꝰ immunis, turpiter velut canino dẽte diſcerpere? Quãquã non ita religiosè Solonis placito adſtringimur, quin liceat quæcunque à maioribus noſtris probè aut ſceleratè geſta ſunt nobis ac poſteris pro exemplo ſtatuere deuitandi ſceleris, aut conſectãdæ virtutis. Hac nos intentione præteritorum ſeculorum temulentiam (licet aliàs perpetua obliuione ſepeliendam) in memoriam reuocabimꝰ. Antiquam quidem illã ſimul cum ipſo vino natam, non enim prius vinum in vſum venit, quàm tractum in abuſum fuit: atque vt de Patriarcha Noë ſanctiſſimo taceam qui primus (vt in ſacrarum literarum monumentis ſcriptum legimus) vitem adinuenit, vitem coluit, vinum guſtauit, vino captus eſt. Sumptis à profanis auctoribus exemplis, non difficile fuerit monſtraſſe, eoſdem vbique terrarum

vini & temulentiæ auctores extitisse: quibus Patriarcham illum inculpatissimum adnumerare summæ ignorantiæ foret, aut extremæ impudentiæ. Nam præterquamquod is ante læsus à vino fuit, quàm aut læsionem perciperet, aut læsionis causam, nulla sua culpa læsus. Si quid tamen deliquit, semel deliquit, ex vnico actu habitus imputari minimè debet: cæteri vini suauitate pellecti mox circa initia deprauato animo toti ebrietati & temulentiæ impliciti habitum contrahunt, contractum praua consuetudine assiduè obfirmant: Bacchus qui apud Ethnicos pro vini Deo est habitus; forte quod primus vitem à mari rubro in Græciam transtulisset, vt opinatur Medicus Philonides: forte etiam quod parandi vini methodum Græcis aperuisset (vt censuit Marcianus Capella) vt vt sit de illius diuinitatis existimatione & exortu, tantum ad belluinam naturam accessit, quantùm recessit à diuina. Dij namque (inquit diuinus inter profanos Poëta)

ὠπίνουσ᾽ αἴθοπα οἶνον

Non vina ardentia potant.

Dicere è cõtra de Baccho quo ad vixit licuit quod de Acerra ſcribit Martialis,
Heſterno fœtêre mero qui credit Acerram,
Fallitur, in lucem ſemper Acerra bibit.

Quam ob cauſam Bacchum antiqui depingebant vino demerſum, & regurgitantem in medium forum curru vectum pro ſpectaculo publico. Nonnulli (quod ad temulentiæ Bacchicæ confirmationem ſummo eſt argumẽto) contextarum ex floribus coronarũ quibus in conuiuiis vtebantur veteres, inuentionem Baccho acceptam ferunt, hanc occaſionem adſtruunt. Ille cum præ aſſidua crapula dolore capitis aſſiduo teneretur, doloris demulcẽdi gratia frontem ſibi & tempora cingi & adſtringi iubebat, hedera pro vinculo vtebatur. Hederaceum cingulum Bacchi ſequaces in diſtinctas variis floribus corollas poſteà commutarunt, Hederæ vſum in faſtum & delicias tranſtulère. Ad eoſdem dolores Bacchus tegere caput mitra ſolebat, inde μιτροφόρος appellatus: inde etiam coronæ Regiæ, & Diadematum origo neque verò ſolum coronarum vſum ſed & compotandi

consuetudinem Bacchi discipuli à suo præceptore acceperunt: eò tandem vinolentiæ progressi, vt in furorē agerentur, moxque crapula & mania quasi occæcati seuirent. In obuios sodales quandoque sic immaniter, vt inde consequerentur mors & fumus. Quos ideo Bacchus, deuitandi periculi gratia, innocua ferula in posterum armari iussit. Hæc prioris illius sæculi temulētia, quæ tantùm in posteris accreuit, quantùm vini, vitiumque copia.

Hercules ætate Baccho aliquantò inferior, ingluuie fortasse superior, ad cibū prouocat⁹ à Lepreo insigni Helu-one, voracitatis palmam retulit. Herculem iterum prouocat Lepreus, sed ad pocula, & hoc altero conflictu victus cadit. Qualem historiæ faciunt Herculem, talem & picturæ: fingi à veteribus solitum inuenim⁹ ebrij in morem titubantis, aut iacentis effigie, & altera manu vastum craterem gestātis. Quin etiam, quò insignem ac pene incredibilem vinolentiam euidentiùs exprimant, fabulantur nonnulli, ipsum dum in Hispaniam migraret, magnam

Oceani partem non alia naui, quàm vasto illo suo cratere traiecisse. Verùm non eos solum quos recensuimus hactenus auctores fautoresque nacta est: ebrietas, propagatur in dies latiùs, vltrò citróque diuagatur atque diffunditur.

Viresque acquirit eundo.

Quicunque vinum admittunt vnà cum vino protinùs ebrietatem quasi hospitio suscipiunt, susceptum vtrumque vno veluti gremio fouent.

Ferunt Erygones parentem Icarum, (qui primus excolendæ vitis artē Athenas edocuit) cùm præ belluina & petulanti crapula ferri ampliùs non posset à populo fuisse interfectum. Saturnus quoque primus in Candiæ Insulam vitem transtulit, non ante tamen vinum in Candia concepit vitis, quam temulentiam enixa est: vini namq; suauitate deliniti insulares vētrem ad sūmas fauces infarciunt, mox incenso feruidis halitibus cerebro: aguntur in furias, agricolam quendam, cui artem excolendæ vitis, & conficiendi vini industriam prodiderat Saturnus, lapidibus obruunt.

obruunt. Cyrus, qui primus Perſarum Monarchiam inſtaurauit, cùm ſibi à Thomyridis Maſſagetarum reginæ armis metueret, Crœſi conſilio perſuaſus arte id obtinuit quod viribus diffidebat. Fugam ſimulat, ſua caſtra, vinis generoſis abundè munita, dat hoſtibus in prædam, imò hoſtes vinis. Nam Cõuerſa poſtmodum in incautos acie, Cyrus vino victos Maſſagetas quaſi vinctos offendit, hoſtes ad obſiſtendum imparatos nullo labore frangit, tertiã ſibi formidoloſi exercitus partem funditus tollit. Vicit olim in quibuſdam Gallis amorem patriæ vini amor (ſi Plutarcho credimus) illi cùm delatum ad ſe ſe ex Italia vinum delibaſſent, noua liquoris apud ſuos nondum cogniti voluptate pellecti, exteras ignotaſque terras cogitant, omni de reuerſione in Galliam conſilio prorſus abiecto. Et hæc (meo iudicio) vinolentiæ antiquitatem cumulatè probant, vt pote quæ diuelli à vino ac ſeparari nequit. Nam & præter ſitim iucundè id ac ſuauiter guſtatur, & ad voluptatem (quæ vitiorum omnium ac præcipuè ebrietatis

parens) frequentiùs quàm ad necessitatem. In cuius fidem plura in sequentibus exempla congeremus, dum nationes omnes sigillatim percurremus.

NATIONES OMNES FVISSE in vinolentiam procliues.

CAPVT XXIII.

DIogenes cùm suo tempore propensas in auaritiam nationes omnes cerneret, dicere solebat sibi mirum non videri quod aurum pallido esset colore, cui à tot tantisque insidijs vbique metuendum. Iam de Baccho quid diceret si ab inferis excitaretur Diogenes? Istud credo non iniuriâ multo rubore suffusos Bacchi vultus, iure à Corinthijs in gemina Bacchi effigie rubeo colore aspersam eius vtramque faciem, cùm tot tantasque tragœdias vbique terrarum excitet, maleficum virus in omnem orbis ambitum dispergat, humanam naturam ad belluinam trãsferat, & humanam mentem (quæ tota

ex ortu diuina eſt) belluino ſenſui inferiorem reddat. Quin verò quàm peſtiferum atque exitiale virus quoquouerſum euomat, atque transfundat ebrietas quis hactenus expertus non eſt? Quæ gens vel tam immanis atque barbara, vel tam exculta diſciplinis atque moribus, quàm ebrietatis contagio non infecerit? Scribit Plinius Suſianam nationem (apud quam vetus Regia Perſarum Suſa, à Dario Hyſtaſpis filio cōdita) ſolam ex omnibus nationibus ab auro: Nullam ego à vino vndequaque abhorruiſſe puto, nullam ſic in vniuerſum à vinolentia, quin ſuos haberet popinones. E quorum etiam numero licet Socrates, tamen dicere audebat (tam effrænis cæterorū ingluuies fuit) Reliquos vt biberent & ederent viuere, ſe vt viueret, bibere & edere. Temulentiam certè in omnes promiſcuè regiones & populos fuiſſe graſſatam probant omnium temporum hiſtoriæ. Tantum verò dominium & tam potenter in ſingulos ipſa exercuit, vt ne Tyranni quidem ipſi eius Tyrannidem excuſſerint. Et quoniam cupiditatibus

principum & vitijs infici ſolet ciuitas, nempe.

Hæc eſt aulæ natura potentis
Et Domini mores Cæſareanus habet.

De regibus dicemus primùm, quorum exempla cùm in ſubditos redundent, enucleando propoſito ſatis eſſe posſet, de reliquis tamen etiam in ſequentibus ſigillatim diſſeremus.

Cyrus (nomine quam diademate illuſtrior) vt Perſarum regno potiretur, omnibus numeris fratri ſuo Artaxerxi ſe aiebat præferendum, hoc inter cætera argumento, quod maiorem vini quantitatem innoxiè perferret. Darius eius ſucceſſor quò ſe poſteris redderet commendatiorem ſuo Epitaphio inſcribi iuſſit, inſignem ſe bibulum fuiſſe. Apud Indos, præter anteà commemoratum Bacchum, qui Indiam in ſuã ditionem per vim adegit, non paucos reperias natos ad popinã potius, quàm ad regiam, ad potandum magis, quàm ad Imperandum. Regnauit apud Aſſyrios Sardanapalus, ſordidiſſimum temulentię mancipium ac fœdæ voluptatis. Præter Sardanapalum Antigoni cõ-

plures imperium tenuère, gulæ omnes quàm deditissimi: vnus inter cœteros non antè crapulam dormiendo soluerat, quàm ad crapulam denuò excitaretur. Vexatur libris historicorum Rex Demetrius quod se in bibendo magis curiosum exhiberet atque industrium, quàm in excogitandis artibus quibus Romanorum iugo sese expediret. Notatur sacrarum literarum monumentis eiusdem Syriæ Rex Benadad, quod ebrius suo in tentorio fuisset inuentus, & cum eo reges alij triginta duo à quibus auxiliares manus in obsidione Samariæ poposcerat. Si tantillum in sacris paginis immorari lubet, aut Iosephi scripta percurrere, occurrent inter Iudęę & Palestinę Reges non pauci, qui cùm cæteros regerent, abdomini seruiebant. Antipater quidem Herodis filius vino fuisse perhibetur addictissimus. Godalides vnà cum suis, in eo conuiuio quod Ismaëli parauerat, ebrietatem incurrit. Iudæorum Rex Alexander in grauissimum morbum ex ebrietate lapsus est. Hærere in singulis non est animus, vnicum istud caput in iusti vo-

luminis magnitudinem protenderetur. Curſim perluſtremus ſingulas orbis partes, nullibi regiam maieſtatem cõperiemus ab iſta labe puram & immunem.

Mycerinũ & Amaſim ambos Ægypti Reges ebrietatis inſimulat Herodotus, Ptolomæum dies noctesque in exercitio Bacchico trãſegiſſe auctor eſt Trogus Pompeius. Mithridatẽ ferunt duobus & viginti nationibus præfuiſſe, peculiaria ſingularum idiomata calluiſſe intemperantia, vt memoria, parem habuiſſe neminem.

Iam nunc ab Aſia in Europam commigremus, primo ſtatim in Græciam appulſu (quæ reliquas totius orbis partes armis olim & bonarum artium ſtudio ſuperauit) innumeros offendemus Principes, Imperatores, Monarchas, qui coërcere legibus ſceleratorum licentiam, deprauatos aliorum mores componere ſumma contentione ſtuduerunt, ſuam ipſorum vinolẽtiam cohibere nuſquam ſunt aggreſſi. Agamemnoni probro vertiſſe crapulam legitur Achilles. Agamemnone nihilo

inferior hac in parte fuit eius succeſſor Cleomenes. Neſtorem aiunt magno ſuo cratere non aliter in certamine, quàm Achillem Clypeo vſum eſſe. Iſtos ætate, dignitate, moribus ſunt ſequuti Alcibiades, Timoleon, Cimon, aliique complures antiquorum libris celebratiſſimi.

Philippus Rex Macedonũ quócunque incederet multo ſtipatus erat popinonum comitatu, ne deeſſet vnquam quibuſcum liberaliter compotaret. Fertur dicere ſolitus inter pocula: Eia genialiter propinemus, Philippo bibendum eſt, madidus ſit Philippus, modò ſobrius Antipater. Deplorãdum illud in Philippo, & iſtud quoq;, quod temulentiæ ſuæ hæredem ex aſſe reliquerit Alexandrum, qui eò proceſſit turpitudinis & intemperãtiæ, vt vnum atque alterum diem totidẽque noctes ſolidas quandoque accumberet, neque ante ſurgeret quàm ſomno vinoque ſepultus,

(Vt loquitur Poëta) manibus & pedibus è menſa efferretur. Non minùs ſtrenuè quàm præfati geſſere ſe in po-

pinis Thraciæ reges Macedonum finitimi. Et ſanè non ab re cantatum ab Horatio.

Natis in vſum lætitiæ ſcyphis
Certare Thracum eſt.

Vnicus nobis inſtar omnium pro exemplo Cotys, is in cōuiuio nuptiali ſuæ filiæ, quàm Iphicrati nuptum dederat, primus vino captus fuit: aliàs regurgitante mero extra ſe poſitus, parari ſibi lectum iuſſit, vt cum Dea Pallade recumberet, quàm eodem die ſecum nuptã ſibi perſuaſerat, Illyricis quoque ebriaci quondam imperarunt: teſtem appello Tenthionem qui toto ſui imperij tempore noctes dieſque tanquam lutulentus ſuæ in vinolẽtiæ cœno volutabatur. Agion verò lateralem morbum ex crapula, ex laterali morbo mortem incurrit. Tacitus prætermitto Scythiæ & reliquæ Europæ reges, Taceo Dioniſium vtrumque, ambos Siciliæ Tyrannos: Nyſæum, Apollocratem, Hypparicum, omnes eiuſdem Imperij dominos, eiuſdem temulentiæ miniſtros. Silentio obuoluo tot Romanos monarchas, portenti aut bel-

luæ quàm hominis nomine digniores, quorum petulante luxu plenæ antiquorum hiſtoriæ, plenæ noſtrorum aures, plena theatra, & ſuggeſta vndique circumſonant. Ad quem amabò Tyberiorum, Claudiorum, Neronum, Vitelliorum, Bonoſiorum, fama non peruenit? Verum plus ſatis hactenùs in antiquis immorati ſumus, tranſeamus ſi lubet propiùs ad noſtra ſæcula, non deerit quod cum prioribus illis comparemus. At præſtiterit fortaſſe receptui cauere', ne tam odioſa narratione lectoribus tædium, nobis fortaſſe maledicentiæ notam prouocemus. Maximè cùm ſatis ſuperque ſit ex dictis cõfirmatum (quod initio propoſuimus) nationes omnes in vinolentiam fuiſſe procliues. Hoc argumento, quod rectores nactæ ſint vinolentos. Alteram nunc eiuſdem propoſiti probationem adſtruamus, priuſquam ad particularia ſermonem conferamus.

EX VARIIS VARIARVM *nationum potionibus earundem in crapulam propensionem haud obscure colligi.*

CAPVT XXIIII.

MAgnum in probatione superiore capite producta positum est momentum, si cui tamen facere non satis videbitur ad integram fidem, faciet saltem ad iustam suspicionem, quã quidem dicendorum hoc loco series haud mediocriter augebit.

Hominem constare ex calido, frigido, humido, & sicco, tritum in Hippocratis doctrina. Fluxilem & euanidam esse humanam substantiam quotidiano sensu sic exploratum, communi consensione sic receptum, vt à nemine dubitetur. Eiusdem instaurandæ necessitas cibi potusque necessitatem induxit. Cibi inquam, vt calidi & sicci; Potus, vt frigidi & humidi expleretur appetitus. Verùm vt tenuiorũ sunt partium poculenta quàm cibi, ita se altiùs in gustum insinuant, vim suam al-

tiùs imprimunt, ſenſum potentiùs feriunt & titillant, vnde maior in bibendo, quàm in edendo voluptas perſentitur. Non igitur mirum ſi vt varia cibariorum condimenta, varia quoque potionum genera varij paſſim conquiſierunt, non tam ad neceſſitatem quàm ad voluptatem, tantæ voluptatis auctoribus (ne ſua deeſſet gratia) gloriã diuinitatis tribuerunt. Equidem de Bacchi deitate conſtans atque indubitata in vniuerſum fuit apud Ethnicos opinio: Cæterorum Deorum non pauci apud alios incogniti, apud alios exoſi, aut neglecti: Singuli vnanimi ſuffragio ſua vota, ſuas victimas Baccho reddiderunt, vini auctori, & ceruiſiæ, quæ pro vino illis foret apud quos ſubſiſtere vineta non poterant. Narrat Theuetus, fideliſſimus hac ætate terrarũ explorator, nullam ſe in quatuor vniuerſi, quas peragrauit partibus inueniſſe nationem ſic agreſtem & à communi hominum viuendi conſuetudine alienam, quæ artificioſi cuiuſcunque liquoris inuentioni ſtudere potiùs, quàm aqua ſimplici vti pro potu

nollet. Id genus inuenta non gulæ ſolùm irritamenta, ſed ebrietatis quoque ſunt fomenta. Sua namque ſuauitate ſenſum, ſuis vaporibus mentem occupant. Potionum ſuauitas, delectationem; delectatio, abuſum; abuſus temulentiam parit. Iſtud in pręcedentibus luculenter demonſtratum fuit; & eam demonſtrare aggredior nullibi deeſſe vinum, aut quemcunque tandē vini ſuccedaneum liquorem. Ex quo confici illud videtur quod intendimus nempe ex varijs variarum nationum potionibus earundem in crapulā propenſionem non malè inferri. De vino fortaſſe negarit quiſpiam, certò perſuaſus pauciſſima omninò vitiaria tota Europa inueniri; Illic deeſſe vinum vbi deſunt vites. Verùm is auctor me ſibi contrarium perſuaderi ſinat, interim dum probatorum auctorum lectione, vel longa peregrinatione fiet inſtructior. Docent Coſmographi Paropamiſſadum regionem nationibus exteris præ frigore inacceſſam, vt pote quæ arctico polo è diametro ſubiacet, vites alere viniferas, quas aduentante

hyemę terra integunt ne ſtillantibus hyberno gelu ſtirijs cõtabeſcant. Quãtò ergò veriſimiliùs putandum eſt,longiùs gelida ab arcto diſſita Europæ climata & vineas colere, & vina proferre. Non enim vbi tantus vini amor adeſt, abeſſe poteſt vitis colendæ induſtria. Neque credibile eſt ſuffectum à naturæ opifice vinum ſubleuandis hominum moleſtijs, valetudini reparandæ, atque conſeruandæ, vitæ prorogandæ; vini vſum vix vni è nullibus fuiſſe conceſſum. Summus ille naturæ operum & munificentiæ contemplator Plinius, vbique terrarum vina haberi aſſerit,cuius ſententiæ ſubſcribunt Geographi, vnoque omnes aſſenſu docent, paſſim in Aſia, Africa, Europa, & America, reperiri tractus vini feraciſſimos, qui non ſuis tantùm cultoribus, ſed toti viciniæ longè latéque vinum largiter ſufficiant ad quotidianos vſus, & ad crapulam. Addunt temulentiæ magis obnoxios eſſe illos apud quos vinetorũ eſt penuria. Ita Gallos antiquos legimus vino ab Italis, magno licet pretio, comparato, ſic auidè, ſic intempe-

ranter abuti ſolitos, vt in inſaniam vel in maniam quandoque agerentur. Et veteres Balearium Inſularũ (quas Maioricam & Minoricam vocamus)incolas ſola vini ſuauitate delinitos ſub Carthaginenſium armis ſtipendia meruiſſe. Et noſtra ætate videmus Angliæ, Bolgij,Daciæ populos cęteroſque quorum inepta vitibus, vinoque ſterilis regio, vinolẽtiæ auidiùs indulgere,quàm reliquarum nationum vlla quæ vitibus fœcunda, laudatiſque vinis referta eſt. Nulla ergò prouincia,nulla ditio,quantumuis aſpera & inculta, atque ab omni hominum ſocietate diſſita penitus à vino abſtinet, ſuppetit id vbique terrarum, & larga ſatis manu. Copioſiſſimum ex Gallia,& Hiſpania in magnam Britanniam aſportatur, quàm vini infœcundam,& penitùs toto diuiſam orbe eſſe aiunt: Aduehitur in Flandriam, Daciam, reliquoſque id genus terrarũ tractus ad Septentrionem ſitos, aut vitibus colendis parùm idoneos, ex finitimis, imò & ex remotiſſimis partibus. At demus ſanè Temetum alicubi deſiderari, nullibi deſuiſſe vnquam vide-

bitur aliquis, qualiſcunque tandem temulentiæ fomes. Factitia apud antiquos comperta ſunt vina, quorum vis eadem ferè quæ illius quod ab vuis exprimitur, idem vſus, idem pariter abuſus. Vinum ex Dactylis in ſummis olim delicijs habuerunt Perſæ, Indi, Arabes, Parthi, qui regium quondam dominium in duo & viginti regna exercuère. Maior Aſiæ pars, atque in vniuerſum omnes Orientales plagæ, eodem potu ordinario vtebantur, licet in caput violenter inſiliat. Noſtra etiam ætate Indi, qui Orientem incolunt Ab-Huſerat, Hedroſiæ, Calut, Maltain, Chirtor, & Dely regnis ad regnum Biſuagar, omnes ex craſſioribus dactylis benè maturis, cum alio quodam fructu (quem Bulon vocant) permiſtis, liquorem eliciunt tanta copia, vt ad vicinos & extraneos magno quæſtu transferatur. Antiquis Ægiptijs ſuccus prunorum Sebeſtenorum in potu familiaris fuit. Fiebant olim & etiamnum fiunt ex varijs frugibus potus. Zythum in Ægipto ex hordeo, curmi item ex hordeo. Cœlia & Ceria in Hiſpania Occiden-

tali ex tritico. Ceruiſia in Gallia, Germania, Polonia, Bohemia, Flandria, ex hordeo, auena, farragine, tritico; in Meridionalibus locis ex oryza, quibus ſuperſtitioſa religio vini potum interdicit. Veterũ Illyriæ incolarum (quam Sabaiam vocant) potio non alia videtur à ceruiſia noſtrate; Nam vel ex hordei, vel ex tritici granis aqua incoctis parabatur. Non diſſimili apparatu ſuam Indi Mazam excoquunt; potum ex ea conficiunt, cui Acu aut Chica vulgare nomen, capiti ſic grauitèr infeſtum, vt lege ſit prohibitus: In eo tamen dies noctesque tranſigunt, neque aliena clade, neque periculo proprio, neque legis decreto perterriti. Scythæ quoque ſuo quondam peculiari potu delectabantur, in eo pernoctabant, componebatur ex acidis ſorbis & fermẽto: Ita cecinit Virgilius.

Hi noctem ludo ducunt, & pocula læti
Fermẽto atque acidis imitãtur vitea ſorbis.

Huic affinis Maurorum quorumdam potio parata ex fructu arboris cuiuſdam quæ ſapore ſuccum refert cornorum immaturorum. Tartari Orientales

omnes, & in vniuersum Malaca incolæ vsque ad mare Mangium, regnum Xanthi, Cambala, Chynam, imò & Quinsay, potum sibi construunt ex quodam fructu magnitudine, & figura nucis Indicæ. Eadem ferè industria qua Normāni suum vocatum Pomatium quod Græcis quondam & Latinis familiare fuit, æquè ac modò Britannis, & Normānis aliisq; nationib⁹ non paucis. Ad hoc potionis genus referri illud potest quod Lotophagis lybiæ populis peculiare olim fuit: isti ex loto vinum exprimebant in quotidianos vsus. Huic non valdè absimile videtur Alkodin, siue (vt aliis placet) Anahier: succus est in altiori Æthiopia ex fructu quodam extractus, gustu suauissimus, nisi quòd acidulus: fructum Zazulich appellant mali citrij magnitudine. Scribit Plutarchus ante vitis inuētionem, potiones ex melle concinnari solitas, easdem quoque in vsu esse apud Barbaros, quibus vini vsus nondum innotuit: mellis dulcedinem acida aliqua aut vinosa radice temperari: eiusmodi potionē tribuit Diodorus Siculus prouinciis om-

nibus ad occaſum & Septentrionem ſitis, à Celtis, qui Alpes & Pyrenæos mõtes incolebant, ad Scythas. Hydromelitis etiamnũ inualeſcit vſus in Ruſſia, Polonia, & Germania. Maximi præ cæteris illud æſtimatur quod Ratiſbona aduehitur, vt pote ſapore gratiſſimum, & ad ebrietatem inducendam potentiſſimum. Sua quondam apud Pœonios, Thracum & Macedonum conterminos, Paraniæ laus fuit, quæ ex melle & Oraza cõſtabat. Habetur apud Canibalas cæteroſque Americanos factitius id genus liquor, quem Cahouin vocant, ex radice quadam ex milio craſſiore, cui vis ad inebriandum non minùs quàm vino generoſo efficax. Apud Throgloditas Æthiopiæ populos duplicis olim generis parabantur vina. Vnum ex Paliuri arboris ſucco in vulgares menſas: alterũ ditioribus reſeruatum quod ex flore quodam ſtillabat, & debilia Italiæ muſta fermè referebat. Hac noſtra tempeſtate plurimis nationibus diſtillãtes ex variis plantis liquores pro potione eſſe perhibentur. In Taprobane Inſula Thal, arboris ſpe-

cies, concisa gratum acceptumque pro vino liquorem fundit. In Canada ex se-cta Cotoni arbore liquor effluit nihilo vino inferior saporis gratia. Tanti verò palmæ succum æstimant Prouinciæ Budomel accolæ, quanti nos vina optima: præter eos aliæ gentes innumeræ Mignol (is ipse succus est) in deliciis habẽt: Insulæ nimirum Zebut, Burnet, & Moluccæ, Æthiopiæ pars, qui Guineam habitant, & Promontorium viride, & maritimæ plagæ vltra sexcenta miliaria protensæ. Sed quid pluribus moror, plena sunt id genus historiis veterum & recentiorum volumina, in quibus describendis otio tantum opus est, non iudicio. Liceat itaque cum Plinio concludere, vt nullibi defuère vnquam potiones quibus irritandæ crapulæ vis esset indita, sic neq; crapulam vllibi defuisse, sparsam quaquauersum in omnes orbis angulos ebrietatem fuisse. Id quod in singulis nationibus demonstrare aggredior.

VARIÆ NATIONES EBRIEtati obnoxiæ, & primùm de Hebræis & Ægyptiis.

CAPVT XXV.

QVoniam quæ ab vniuersalibus procedit oratio minùs eos afficit qui pinguiore sunt Minerua præditi, quàm quæ à singularibus quæ sensui subiacẽt: ne quis præcedenti probatione sibi minimé satisfactum queratur, descendamus ad singulas nationes, singulas (quarum adũbrata hactenus rudiora lineamenta) suis quasi coloribus ad viuum exprimamus. Summus naturæ Genius Aristoteles, vbi ex professo sermonem de voluptatib⁹ instituit quæ in sensus externos cadunt, docet honestiorem esse voluptatem quæ visu, odoratu, & auditu percipitur, quam quæ gustu, aut tactu: Illos quippe nobiliores sensus, hos ignobiliores; Quare & tolerandã, neque homine indignam quæ ab illis oritur delectationem; quæ ab his profluit, brutorum animantium magis propriam. Neque verò illis sensibus propriè cætera animãtia capiunt

voluptatem. Non enim aut canes leporum delectantur odore, ſed paſtu: aut leo voce bouis, ſed eſu: neque quod cernat, aut inuenerit ceruum, vel capram feram ex eo gaudet, ſed quia paſtum nactus ſit. Verſantur igitur in ijs voluptatibus omnibus temperantia & intemperantia quarum reliquæ participes ſunt animantes: Itaque ſeruiles illas belluinaſque eſſe conſtat, quæ guſtatu tactuque capiuntur. Tactus autẽ ex ſenſibus vnus patet latiſſimè in quo ſita intemperantia eſt, quæ iure vt probrum maximè obiectatur, vt quæ in nobis ineſt non quatenus homines ſumus ſed quatenus animalia. Et ſanè ſi in intemperantem conuertas oculos, dum naturam humanam, quæ in ratione maximè ſita eſt, exuiſſe comperies, belluinam induiſſe, ſenſu quippe magis quàm ratione ducitur pronus, in abiecta fertur, & in obiecta ſenſuum nobis cum brutis communia; mentis aciem (quæ ſola hominis eſt propria) vix ac ne vix quidem ad cœleſtia reflectit. Ex omnibus tamen nationibus ne illæ quidem à temulentia abhorruerũt,

quæ Philoſophicis præceptis delibutæ, ſacris etiam ritibus excultæ, longiùs à ferinis affectionibus, propiùs à recto rationis impulſu, diuiniſque legibus abeſſe videbantur, vt minimè mirum ſit reliquas quoque diuinarum rerum & ſapientiæ Theorematum prorſus ignaras, atque ex conſequenti, ſenſuum & cæcæ libidinis, magis, quàm cœleſtium & rationis addictas imperio, eandem ambabus quod aiunt vlnis fuiſſe amplexatas. Hebræa gens cum plurimarum artium peritia, tum diuini cultus & religionis cognitione reliquis olim præferenda, ita turpiter quaſi excuſſo rationis imperio in crapulā ferebatur, vt ſibi nulla actione melius quàm aſſidua cōpotatione Sabbathi diem ſanctificare, videretur. Quod intuitus Eccleſiaſtes, quò Hebræos à praua eiuſmodi conſuetudine reuocet & deterreat, docet monetque plures à gula confici, quàm à gladio. Sed fruſtra: enimuero ſi ſacras paginas percurrere tantiſper lubet, occurrent primo intuitu centena apud illos temulentiæ exempla, illic Nabal

conuiuium inſtruit, & inebriatur. Ammon regiis ab Abſalone excipitur epulis & inebriatur. Ela dum crapulæ indulget, à ſuo ſeruo interficitur. Illic, ſi quæ illi ſtruuntur inſidiæ, ſi qui parantur doli, primæ in vino machinæ, prima fraus, primæ illecebræ. Binæ filiæ Loth, vbi de nefando cum parente proprio inceſtu cogitant, ſtragem à vino inchoant. Dauid Rex impuro Barſabeę amore victus quo citiùs & occultiùs adulteris potiretur amoribus, Vriam præcipitem dedit in ebrietatem. Denique tantus quōdam apud Iudæos vino habitus eſt honos, vt ſummæ verteretur ignominiæ, ſi quis in ſceleris admiſſi pœnam vino interdiceretur. Ad Hebræos, vt ſciētia & moribus proximè acceſſerunt Ægiptij, ita & crapula: Negat Herodotus ſe cum politiore vnquam gente, & acutioribus ingeniis prædita conſuetudinem iniuiſſe: Morum tamen candorem turpiſſima ebrietatis macula conſperſit Ægiptus, ingeniorum acumen & ſolertiam ſtupore Bacchico retudit. Phanes, cùm in Amaſis Ægiptiæ regis manus incidiſſet, ſuæ

custodiæ præfectos inuitat ad pocula, Baccho somnóque captiuos reddit, seipsũ captiuitate liberat, liber ad Cambysem commigrat. Pari industria fur quidam Ægiptius fratrem suum ignominiosè suspensum abripuit, milites, qui cadaueris custodiæ præerant, tanto vini copia, tam alto sapore stuporeque ex crapula demersit, vt non modò non furtiuæ prædæ obsisterent, sed ne nouaculæ quidem aciem dextram sibi barbæ partem abradentis, persentirent. Suspicati sunt aliqui sitis remediũ inuentum apud Ægiptios fuisse, summa Ægiptiorũ præ cæteris nationibus in vinum propensio huic suspicioni occasionem dedit. Hoc ipso argumento moti nonnulli vini & ceruisię inuentionẽ Ægiptiis tribuerunt, nam ceruisia vt vino abutebantur in delicias, à ceruisia vt à vino ferebantur in crapulam, à crapula in cantus, in choreas, in lasciuiam. Sub epularum finem mortis imaginẽ conuiuis suis visendam circũferebãt (siue vt quibusdam videtur, humanum cranium) quò ardentiùs ad potum incitarentur, is cui gestandæ illius imaginis demandatum

demãdatũ mun⁹,particulatim hortabatur singulos vt bono lętoq; essẽt animo, vt alacriter biberẽt quamdiu vitalibus auris frui licet, calcandam semel lethi viam, eosdem vultus, eandẽ effigiẽ eandemque sortem manere singulos, vitæ molestias vini suauitate demulcendas, emolliendam eius duritiem laxiore genio, breuitatem eius largo & liberalĩ deliciarum fruitu compensandã. (Alij ad continendam potius quàm ad stimulandam intemperantiam fuisse id spectaculum contendunt) illa ipsa erat decantata toties Epicuræorum oratio, ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Nulla certè post mortem voluptas superstes voluptuarijs id genus heluonibus, quorum Deus venter est, qui terrenæ vitæ turpitudine, sibi ad cœlestem aditum intercludunt. Ne qua verò in crapula foret intermissio (in qua summa apud Ægiptios fœlicitas) auiculas quasdam Dagnades vocatas suis corollis alligabant, quarum assiduo circum aures & tempora volatu, garrituque, torpentes ad suas delicias excitarentur. Verùm suo illi arbitratu po-

culis inuigilent, imò in compotationibus obdormiant, & consenescant, nos interim alias nationes perlustremus.

GRÆCOS PRÆTER MODVM crapulæ fuisse addictos.

CAPVT XXVI.

SI vllibi gentium immoderati haustus & stupendæ pateræ vnquam in vsu fuisse memorãtur, fuerunt certè in Græcia: illic plurimæ excogitatæ vini miscellæ plurimę ad ebrietatem illecebræ; illic Bacchici conflictus instituti, proposita heluonibus præmia, pro Bacchica gloria tanquam pro aris & focis decertatum; illic denique non politioris disciplinæ homines, non philosophi non ipsi vulgò pro sapientibus habiti gulæ temperarunt. Quis Socratem credat dies noctesque in poculis traxisse? fertur in quadam cœna (cui accumbebant Agathon , Aristophanes , alijque complures) conuiuas omnes, vno excepto Agathone, quocum primo crepusculo abijt, somno vinoque sopitos dimisisse. Puteos vocabat crateras, tan-

tæ molis erant, quibus accumbentes demerſerat. Mortuo Socrate Plato eius diſcipulos prouocauit ad pocula, vt conceptum ex præceptoris obitu dolorem blando liquore eluerent. Docent hiſtoriæ Dioniſium Siciliæ Tyrannum qui Xenocrati palmam in bibendo præriperet apud ſe habuiſſe neminem. Anacharſis (quem Græcis annumero quòd temulentiam primus in Græciam ſparſam à Græcis didicerit) quondam iactabundus dicebat, primum ſe ex accumbentibus ebrietatem incurriſſe. Celebrantur magna omnium admiratione ſeptem Græciæ ſapientum conuiuia, tanquam multo ſapientiæ & doctrinæ ſale condita, non tamen à compotationibus inuenientur immunia. Polemon philoſophus hortari conuiuas ſolebat vt biberent in ſitim præſentem & futuram. Stratonicus dormire niſi præbibiſſet non poterat, non ad leniendam, ſed ad præueniendam ſitim. Philoxenus quidam Eryxius cùm vini ac epularum voluptate duceretur, collum dari ſibi collo Gruis longiùs optabat, quò diuturniorem ex ſapore caperet

voluptatem. Archesilaus philosophus mortem sibi præ crapula consciuit. Antiphanes Poëta vitam potu definiebat, viuere nihil aliud ipsi erat quàm bibere. Narrat Galen⁹, Quintum Asiaticum, qui medicum agebat, sed parum medicè, tetro vini, quo se ingurgitabat, exspirati (proh scelus in Medico) iacentium nares & caput grauiter afficere solitum. Equidem vt paucis complectar omnia, omnes cuiuscunque tandem conditionis & ordinis, summi, medij, infimi, proni in temulentiam corruère. Apud Bæotios post bellum Leuctricum tanta conuiuiorũ inualuit consuetudo, vt nõnulli vno eodemq; die ad tot cœnas inuitarentur, quot integer mensis dies continet. Rhodij, Thasij Thessali, Macedonij, Thebani, Athenienses, Corinthij, & Lemnij, omnis in vniuersum Græcia sibi temulentiæ notam inussit. Quod amplius sacrum illud quondam Mineruæ musarũque Emporiũ Athenæ peculiarem vinolentiæ magistratũ dicarũt, cui ex officio incũbebat prouidere vt æqualibus poculis sine fraude certaretur. Mirabitur fortasse quispiã me

Lacedæmonios in Popinonũ albũ adſcribere, quorum tãti apud ſcriptores omnes ſobrietas ęſtimatur, tãto à Platone elogio ſuis in legibus commẽdatur: apud quos ſpuere ac emũgere ignominioſum fuit, vt potè redundantis cibi aut potionis indicium. Ego probæ Lacedæmoniorum exiſtimationi, ſi quid detraho, nihil impono. Teſtatur familiaris eorum loquendo modus, parem eos cum Scythis ſeruaſſe aliquando in bibẽdo modum. Scythiſemus inquiebant, (quod Romani dixiſſent pergræcari) ſi quando ſe inuitabant ad pocula. Scythiſemus (inquam) hoc eſt Scythico bibamus more, merum, purum, putum vinum, longis largiſque hauſtibus propinemus, & ad crapulam. Et quæſo quorsũ liberis ſuis, vt ab ebrietate auocarentur, Ilotas (ita ſeruos appellabãt) ebrios viſendos proponebant, ſi illi ad ebrietatem minimè erant procliues? Quorſum mulctæ in ebrios eorum legibus conſtitutæ, nullæ in parricidas? Niſi quia parricida inter eos nemo, temulenti plures? Ex malis namque moribus bonæ leges ortæ ſunt. Notat He-

rodotus ſingulare apud illos ebrietatis prodigium. Cleomenes, inquit, Spartarum Rex ex aſſidua crapula tandem in furias actus, varias ſeipſum diſcerpſit in partes,ac miſerè interemit. Certò itaque ſtatuendum eſt ſerpſiſſe in vniuerſam Græciam temulentiæ vitium, ſobrios apud illos fuiſſe habitos, qui minùs eſſent temulenti. Non enim paulò antè commemorata vox pergræcari (quæ idem apud Latinos ſonat quod vinolentiæ indulgere) non (inquam) aliundè, quàm ex communi Græcorum agendi conſuetudine traxit originem. Reuocat mihi in memoriam locorum affinitas inſigne quoddam temulentiæ exemplum. Cum obſidione cingentur Græciæ vicina Conſtantinopolis, nec in ſumma quidẽ periculi grauitate ciues contineri poterant (tanta vis eſt inueteratæ conſuetudinis) quin ad popinas vndequaq; cõfluerẽt, neglecta ciuitatis cuſtodia. Quidã ex militiæ præfectis ſparſos hinc inde, & vagos ciues, cõſtructis hinc inde circũ mænia tabernis eò, quo præsẽs vocabat neceſſitas ſpontè adactos apud ſe in excubijs, & in of-

ficio, cohibuit. Sed pedem efferamus ex Græcia pergamus ad Romanos.

VETERES ROMANOS, EOrumque accolas eandem cum præcedentibus viam calcasse.

CAPVT XXVII.

DE Romanis dicturo non aliundè mutuari certiùs licet dicẽdorum fidem quàm à Romanis ipsis, à quibus, scriptum reperimus tantò se temulentia Græcis fuisse superiores, quantò sibi Græcos morum ciuilitate putabant inferiores. Conqueri solebat Cato vitiorum seminaria sua ætate à Græcia in omnem Italiam dispergi. Cuius testimonio subscribens Horatius, ait Romanos simul & semel Græciam suo imperio adegisse, & Græcorum vitiorum imperio fuisse adactos, temulentiæ maximè, Equidem dicam (Romanorũ) pace falsam excusationis ansam prætexunt, quicunque illorum temulentiam audent in Græcos impingere,

Certum enim eſt ex antiquorum monumentis, ebrietatis labem priùs contraxiſſe Romanos, quàm vllam cum Græcia conſuetudinem inirent. Illa tam late'dimanarat, vt ne Cato ipſe, quantumuis auſterus, quantuſcunque Græcorum Antagoniſta, eius in ſe maculam deterſerit.

Narratur & Priſci Catonis

Sæpè mero caluiſſe virtus, ait idem Horatius.

Romanos iudices bibulorum effigie depingit Macrobius: exonerantes paſſim in compitis veſicas vino turgidas & diſtẽtas: Ita torpidos, vt aperire oculos præ ſtupore vix poſſent & erigere tumentes palpebras. Eò porrò proceſſit Romanorum crapula, vt ſummam in potatione delectationem, in ea delectatione proroganda ſummum ſtudium ponerent. Nonnulli pervocatam Hippocratis manicam vinũ tranſmittebant, quò eius imminuto robore maiorem quantitatem innoxiè ebiberent. Alij ſaltu & choreis ſitim proritabant. Quidem canum inſtar, bis terque ad vomitum redibant, quò nouæ

potioni, nouus esset locus. Quidam (magno meo horrore loquor) inuitas & reluctantes fauces sub capitis pœna cogebāt ad excipiēdos haustus. In hūc vsum, in abusum inquam cicutam deglutiebant aut Pumicem lapidem cùm à peritis rerum naturaliū accepissent, solo vini potu seruari eum posse qui horum alterum deuorasset. Eò tandem ventum est, vt fotores fautoresque medicos haberet ebrietas, artem famulantem. Variæ præscribebantur formulæ, omnes ad vinum vel liberiùs admittendum, vel promptiùs reijciendum. Externi etiam imperante Tyberio conducti ad id munus medici, quorum arte creuit popinonum ingluuies supra humanum captum. In eiusmodi medicos conuerso ad Thessalum sermone grauiter inuehitur Galenus, graphicè quoque Romanorum temulentiam hac oratione depingit: Iam vel aleæ (inquit) vel amoribus, vel balneis, vel ebrietati, vel comessationi, vel demum alicui corporis voluptati deditus, non exiguus numerus. Vesperi verò omnes rursum ad cōuiuia simul collecti, post-

quam vino ſe impleuere, non lyra, cytharaue, aut aliud muſicum inſtrumentum, in orbem circumfertur (quod ſicut olim in eiuſmodi congreſſu tetigiſſe honeſtum ſic contra non tetigiſſe fuerat indecorum) ſed nec ſermones vlli habentur, quales in ſympoſijs agitare veteres ſolere prodiderunt, nec aliud honeſtum quicquam. Imò ſibi inuicem propinant, & de magnitudine poculorum certant: inter quos optimus cenſetur, non qui pluribus inſtrumentis muſicis, aut etiam ſermone philoſophico vti nouit, ſed qui multos, eoſq; maximos calices exſiccauit, adeò vt mihi manè etiamnũ ebrii ex his plerique videantur: nonnulli verò etiam euidenter adeò vinum olere quàm ſi mox hauſiſſent: Verùm non Romani ſolùm ſed reliqua quoque Italia viam eandem tenuit. Cybaritæ (tantus in turpitudinem ac in impudentiam gradus eſt intemperantia) primi matulas in conuiuia dicuntur inuexiſſe, quò ſurgendi laborem accumbentibus adimerent. Teſtatur Plato ſe in Bacchanalibus omnes Tarenti incolas vidiſſe

ebrios. Hetrusci, Thyrreni, Loccenses, Fidenates, Romanis finitimi, & maris Tyrrheni Insulares Italiæ vicini, omnes in eodem vitio fuère. Qui Lyparam, Strombolum, Pinaram, insulas colunt, cæterique Æolij, qui Corsicam maioricam, minoricam, omnes in eodem errore depræhensi. Syculi hos omnes, vt amplitudine, & fœcunditate soli, temulentia quoque superarunt, etiam in sacris temulenti: nam litare nymphis antiquo ritu priuatis in ædibus solebãt, sacra in poculis & saltationibus circũ idola sua peragebant. Syracusani, Siciliæ Principes & primarij accolæ, fracto Dionisio iuniore qui tyrannidem occupabat, summum temulentiæ specimen summo suo malo ediderunt; Illi cum Syracusę castello adhuc potiretur pulsus Tyrannide Dionisius, tanquam nullo metu, nullo periculo superstite, nihil de hoste solliciti, diem in epulis, in luxu & lasciuia posuerunt: consequente postmodum nocte vino altè demersi, prius hostilis gladij cuspidem persenserunt, quàm ad vitæ suæ tutelam excitarentur. Si solo, gulæ explen-

dæ desiderio impulsi, tam improuidè dubijs in rebus, cùm de aris & focis agerentur, tam petulanter se gesserunt, vt libidinem & intemperantiam saluti propriæ anteferrent quales in pace fuerint, tacitus apud se lector perpendat. Nos interim ducto pariter à minori ad maius argumento, concludamus reliquas nationes cum præcedentibus neque cultura animorum [quæ Philosophia est] neque ingeniorum indole, neque morum facilitate cõparandas longè in belluinas id genus voluptates fuisse proniores: quippe quę aut naturam sequebantur ducem sensus imperio subditam, aut ipsum sensus impulsum ac impetũ: Ac prætereà (vt Aristophanes) ad cuiusq; robur & virtutẽ ex ingestorũ quãtitate metiebãtur. Ne quid tamen hoc in opere à nobis desideretur de his quoque sigillatim & breuiter in sequenti disseremus; Omnes vno eodemque capite cõpræhendemus, quanquã inter eas inuenitur non mediocre discrimen: fuerunt enim aliquæ longè aliis cultiores optimis legibus constitutæ, & à sũmis Philosophis moralib⁹

& polyticis præceptionibus instructæ suos Indi sapientes habuerunt, Magos Persæ, Druydas Galli: Galli, inquam hac ætate nostra nationibus omnibus genio doctrina, moribus, armis, animisque pares, nulli, quam norim, inferiores. Sed de his non hic agendi locus, de crapula loquamur, & ad singulos progressi nostrum intentũ absoluamus.

ALIÆ NATIONES ANTIquitùs minùs celebres temulentiæ addictæ.

CAPVT XXVIII.

PRodunt historiæ Indos supra modum pronos in crapulàm fuisse: potatoria proinde quondam apud ipsos certamina ab Alexandro instituta, conductos ad hæc ipsa mercede viros, honores & præmia primatiis popinonibus destinata, quò deprauatæ soli naturæ & consuetudini blandiretur & seruiret. Honorificum olim id exercitij genus, imò gloriosum apud Parthos fuit: quò quisque fuerat in hauriendo vino capacior, tantò in-

ter eos habebatur generosior: tantum verò ex assidua temulentia oris fœtorem contraxère, vt ferre mutuò se non possent: ac seminibus citri, aliisque miscellis condere obsonia vulgò ad halitus commendationem cogerētur. De Persis quid dicemus, nisi quod cantatum ab Horatio?

Persicos odi puer apparatus,
Displicent nexæ phylira corona.

Odio certè & commiseratione digni Persarum apparatus, qui nihil præter luxum spirabant, præter crapulam, præterque immoderatos sumptus, maximè apud Principes & consulares viros. Deliberationem in vina sumebant consilium à vinolentis. Amplis vltra modum calicibus (quos ῥοχόιδας vocabant) in conuiuiis vtebantur, quò promptiùs idonei euaderent ad ineunda consilia. Communi postmodum malo prudentiores redditi vastos illos crateras edicto publico abdicarunt, sed nullo meliore successu: craterum amplitudini detractum. vini additū quantitati, geminati haustus, quorum vsque adeò accreuit numerus, vt vino sopiti

Perſæ quaſi ſepulti, vulgò è conuiuijs efferrentur. De veteribus Gallis habita in prçcedentibus oratio: illud hoc loco adiiciendum ſuperioribus, bis illos armis Romanorum fuiſſe fractos, cum Bacchico conflictu, bis antea victi concidiſſent. Sed iam Pyrenços mõtes prætergreſſi antiquam Hiſpaniam perluſtremus. Equidem Romanos cùm in Hiſpania degerent, admodum intemperãter vixiſſe ſcriptum comperimus: Sertorianos milites, hyemem integram in Celtiberis plagis, quæ omni victus genere affluebant, in crapula & luxu fœdè ac inſolẽter occupaſſe. Verùm Hiſpanos ipſos ab eiuſmodi labe puros illibatoſque plerique autumãt, Athenæi fortaſſe lectione perſuaſi, qui vſque adeò parcimoniæ addictos illos fuiſſe aſſerit, vt vnica refectione in die contenti viuerent, & ſimplicis aquæ potu, licet abundè ſuppeterent facultates, ſumptus præcipuos faciebãt in eleganti & magnifico veſtium apparatu. Eoſdem tamen vt ebriacos depingit Plato. Mihi ſi liberè effari liceat, quod ſentio, valdè difficile videtur, ne dicã ἀδύνατον,

vinci à vinolentis, neq; vino submitti: regi à popinonibus, popinæ dominari; Sobriè cũ temulentis agere, maximè in tãta vini optimi & generosissimi copia, quæ summa ad ebrietatẽ illecebra est, vnde plerumq; sibi comitẽ adsciscit temulentiã. Et sanè non tam Hispanorum sobrietatẽ cõmendat Athenæus, quàm auaritiam notat: non tam auaritiam illorum tegit, quàm fastum prodit: Addo quod hac nostra tempestate videmus Hispanos aliquot alioqui frugales admodum, imò abstemios longa cum Belgis & extraneis viuendi consuetudine vino ac vinolentiæ assuescere, modò expensis alienis. Quanquam frugalitatis haud vulgarem merentur laudem, vti & laborum tolerantię, quorum vtroque cum bellicarum rerum peritia coniuncto, regna sua victorijs illustrarunt, cumularunt opibus, imperio adauxerunt: Nullæ ergô nationes à vini tyrannide se substraxerunt; vinum in omnes omnium terrarum tractus ab Oriente ad Occasum, à Septentrione ad Meridiem vim suam potenter exercuit, omnes spurcissima vino-

lentiæ macula conſperſit, atque deturpauit. Chartaginenſes quidem (vt teſtatur Virgilius in Bitiæ perſona)Chartaginis olim, & temulentiæ ſimul iecêre fundamenta. Diu multumque perſeuerauit apud illos hæc affectio , nam Platonis tempore adhuc inualeſcebat. Nomades, Cyrenæi, Ætiopes, cœteriq; Meridionales principis & primarij Africæ populi mores ſunt inſequuti, Septentrionalium tamen intemperantiam nuſquam adæquarunt. Nam (præter eos quos memorauimus , qui ad arctũ vergũt)Scythæ non vltimã laudẽ bibulis detulerunt apud quos generoſiſſimi habebãtur, qui in compotationibus acerrimi. Primi crapulam in Græciam inuexerunt, quam ab cauſam exercitio & inſtrumento Bacchico ſuorum auctorum Græci nomen indiderunt. Potare namque Scythiſare dixerũt : Et calicem, ſcyphum, quaſi ſcythum θ in φ. conuerſo familiari Græcis tranſmutatione. Iam quid de Germanis dicemus? Quid de Belgis, Polonis , Moſcouitis, Noruegijs, Bohemis,alijſque id genus? Pro indubitato ſtatuimus pares illos

cæteris in bibendo priſcis temporibus fuiſſe. At iſtud miſerandum ætate noſtra crapulam ab omnibus ferè mundi partibus demùm exploſam, pedem figiſſe apud illos ſic firmiter, vt nullis machinis exturbari poſſe videretur. Nos tanti mali radices ſequenti capite perquiremus, quas illi curioſe' ex ſuo ſolo(virorum aliàs fortiſſimorum, corporum animorumque virilium, & ingeniorum nobilium feraciſſimo) data in poſterum diligentiori cautione effodiant, & extirpent.

CVR NATIONVM OMNIVM addictiſſimæ crapulæ ſunt Septentrionales?

CAPVT XXIX.

DVm veteres Germanorum mores apud Tacitũ memoria repeto, ſolum mihi priſcorum nomen videntur hodierni retinere. Illi, feroces ac immanitate barbari, iſti modeſti, faciles, ac humani: illi inſulſi, rudes, craſſa & quaſi inuita Minerua nati, iſti ciuiles, ſo-

lertes, ac induſtrij: ſterile illorum ſolum, incultum, ac inacceſſum: horum fertile & fœcundum aſſidua cultura & induſtria redditum, & fructuoſum, & (ſi quod aliud in Europa) commercio diues, fœlix, tutum, & fidele. In hac tāta morum animorumque mutatione priſcorum in temulentiam propenſio immutabilis noſtris temporibus perſtitit, forte' etiam increuit. Priores quidem illi dies noctesque (ait Tacitus) in compotationibus ponebant: idem etiam in præſentia factitari ſolet, tempori nil detrahitur, morum additur corruptelæ. Iſtud inter cætera (commiſeratione, imo pœna dignum) quod vi aut precario coguntur ad ęqualia pocula nolentes & inuiti: ſi differas, vrgebunt; ſi recuſes, factam ſibi iniuriā putabunt, rationem quam vocant, hoc eſt æqualem potum, minis (quam id præter rationem!) extorquebunt: progredientur etiam ad conuicia, demumque (quò non impellitur vino exæſtuans ac efferatus animus!) ſanguinem pro vino poſcent. Etſi verò ſcriptum à Cæſare comperio Sueuos, ferociſſimos quon-

dam Germaniæ populos, & maximè bellicosos, vino apud se aditum interclusisse, eiusdem potione suos interdixisse, ne suauitate qua pollet illecto sensu, mentem pariter inuaderet, emolliret animos, effœminaret corpora, tandemque inducta laxiore vita disciplinam remitteret militarem. Patebat nihilominùs apud illos ebrietati aditus, ceruisia pro familiari potu vulgò vtebantur, & abutebantur intemperanter: nõ nunquam etiam vino, si quando à Gallis aut Italis mercatoribus eius copia fieret. Neque verò Germanos solùm, sed in vniuersum omnes ad Septentrionem sitos temulentia occupauit, atque etiamnum occupat testem oculatum Olaum nomino natione Gothum, qui verè prodigiosa de suorum crapula scriptis consignauit. Sed neque testibus opus est, neque exemplis in re plus satis manifesta, rationem potiùs cur ita sit inuestigemus.

Si Astronomos hac in parte consulamus, tot nobis ob oculos obijcient ascendentes & descendentes planetas, tot horum inter se & cum Zodiaci si-

ſignis mobilibus, fixis, & communibus coniunctiones, tot Horoſcopos obtrudent, vt res, ſi non compendio, clarè ſaltem definita videatur. Ex eorum calculo is, cui iunctis conuenienti aſpectu Marte & Venere naſci cōtinget, naſcetur in crapulā procliuis. E quorū etiam mente iſta Aſtronomici Poëtæ.

Vltima pars magni cum tollitur ore Leonis,
Crater, & auratis ſurgit ſtellatus ab aſtris,
Inde trahit quicunque genus, moreſque ſequentur.

Et paulò poſt.

Gaudebitque mero, mergetque in pocula mentem.

Quandocunque (inquiunt) in Capricorni ſigno reperietur Venus, in quocunque tandem gradu offendatur, vini & vinolentiæ parit amorem. Si quis in Pleiadum exortu edatur in lucem, fiet in ebrietatem pronus, & in laſciuiam. Oriuntur Pleiades in ſexta Tauri manſione. Ita cecinit idem Manilius, hoc eius vaticinium ſequentibus verſibus expreſſum.

Taurus in aduersos praeceps attollitur ortus,
Sexta parte sui certantes lucis ad oras
Pleiades ducit, quibus adspirantibus almam
In lucem educunt Bacchi, Venerisque sequaces.

His alijsque id genus commentis curiosorum aures demulcent Astrologi, primas humanarum affectionum causas à cœlo petunt, cœlum accusant, vt soli culpam tegant. Ego verò, tantùm abest vt ex diuersa cœlorũ facie varios in nobis mores putem imprimi, quibus huc aut illuc tractim quasi compellamur: quin potiùs vix inducor vt admittam peculiares & immediatos aliquos influxus, quorum virtute oriatur in nobis vlla in hoc vel in illud determinata dispositio, siue propensio. Si quid possunt astra, si quid efficiunt, redundare in animum nusquam potest, nisi medio corpore. Temperiem quidem corporis alterant, humores variè commutant: mox pro varia amborum dispositione & motu variè commouetur animus ad vitium aut ad virtutem; cō-

mouetur inquam, minimè rapitur, minimè cogitur: ſuo arbitratu fertur, libero agitur delectu vel in ſenſum, vel in rationem. Age verò quis ſibi perſuadeat innumeros variæ ætatis bibulos vna eademque in regione vnam ac eandem conſtellationem ſortiri? Omnes in vniuerſum, quacunque tandem anni tempeſtate, quacunque diei hora nati, agi pariter in temulentiam videntur: ſed miſſa faciamus Aſtrologorum inſomnia, quorum altior ſpeculatio, fictitia ratio, fallax oratio, praxis incertior, mendax & vana prognoſis. Verè Philoſophicas adeamus Phyſicorum & Medicorum ſcholas.

Iſtud pro fundamento ſupponamus, tãquam ex tripode reſponſum ab Hippocrate, in Epidemicis affectibus, vt communis multorum eſt affectio, communem quoque & vniuerſalem inueſtigandam cauſam, qualis aër, aut vitæ ratio. Temulentia communis eſt animorum paſſio quæ paſſim graſſatur per vniuerſas Septentrionales plagas, & à praua corporum diſpoſitione plerumque fouetur atque ſuſtentatur: temu-

lentiæ itaque communis origo vel ab animis ipsis, vel à corporibus, vel ab vtrisque simul petenda est. Neutrum equidem in Septentrionalibus sua culpa caret. Animus quidem iam inde ab incunabulis ex præpostera educatione habitum contrahit; corpus, quosdam veluti igniculos accendit, quibus excitandis (quoniam cum voluptate fit) liberè assuescit animus. Igniculos voco geminam sitim, quarum altera ab obiecto, altera à subiecto. Illam voluptuariam appellant, hanc naturalem. Prior ab ea delectatione proficiscitur quam in bibẽdo percipimus, quæ Septentrionales in vniuersum ita suauiter afficit vt siti opus esse negent ad vini potionem. Naturalis vel à ventriculi calore prouenit, vel à siccitate. Vtraque hæc intemperies vel à cibo & potu, vel ab ambiente aëre, vel ab humoribus calfaciendi, & exsiccandi facultate præditis. Cuius si quando simul omnia conspirant sitim generant tantò intensiorem, quantò vis vnita quàm dispersa intensior. Quid igitur mirũ quod assiduè his quasi stimulis ad potandum lacessiti

lacessiti Septētrionales assiduè quoque remedium à potu petant? Cùm ne leuiorem quidem sitim qui sobrij putantur nisi ægrè admodum, aut impatienter ferant? Septentrionales calido esse ventriculo nemo arbitror ibit inficias. Si qui aliter sentiunt videant quàm expeditè, quàm nullo negotio cibos coquant coctu difficillimos, qualitatibus & substantia planè contrarios, quantitate copiosos; nulla habita mensuræ, temporis, aut ordinis ratione, nullo grauitatis aut doloris sensu, nullo valetudinis incommodo, nullo vitæ dispendio. Calida illa temperies partim à natura, partim ex accidenti. In ea conseruanda studiosissimè se gerunt, vnde plerumque increscit, sensimque absumpta ventriculi humiditate sibi comitem adsciscit siccitatem. Mox ab vtroque simul sitis ardentior, & toleratu longè grauior euadit. His accedunt varia sitis irritamenta calidam & siccam qualitatem sortita, quibus ventriculi discrasia fit auctior, potionis augetur suauitas, & proritatur appetitus. Quàm frequens esus apud illos fu-

mo exſiccatarum carnium, caſei antiqui, putridi, olidi: ciborum ſale & aromatis conditorum? Panem ſolum vix obtulerint niſi multo reſpersũ ſale, imò & inter pinſendum multo iam cõditum ſale. Inde exareſcunt fauces, exæſtuant viſcera, efferatur ſitis. Huic demulcendæ vinum offertur merum (dilutum obtuliſſe nefas) merum inquam addo & plerumque, ſulfureum tale ad ſitim, quale oleum ad extinguendam flammam! In quod torqueri iure poteſt, quod iniuria fortaſſe tribuebat aquis Poëta quidam hoc carmine.

Quò plus ſunt potæ, plus ſitiũtur aquæ.

De Septentrionalibus quoque idem referre licet quod de Parthis retuliſſe aiuntScytharum legatum: Parthos quò largiùs biberent, eò ſitire vehemẽtiùs. Ex aſſiduis cõpotationibus cumulantur pituitoſi, & crudiores ſucci, qui tum ratione materiæ ex qua procreantur, cùm caloris actione, ſalſedinem contrahunt, nouum ad ſitim fomitem, nouos aculeos. Præfatas haſce cauſas non mediocriter promouet, calida aëris, qualem perpetuò fere inſpirant,

constitutio, à quo palatum exſiccatur, incandeſcunt pulmones, & præcordia: maxima namque anni parte in Hypocauſtis degũt, (æſtuaria licet appellare) neque ante in apertas auras prodeunt, quàm è latibulis ſerpentes, niſi fortè ad communes vſus, & pellibus vndequaque curiosè obtecti, ne quam ab externo frigore offenſionem patiantur. Ne cui verò leuiora putentur iſta, quàm vt ab ijs certa ex intentione noſtra eliciatur cõcluſio, rationes alias proferamus, quibus muniantur atque confirmẽtur.

Scriptum reliquit Plinius inueniri aliquos qui vinum abſque ſiti bibant: pro Plinio teſtantur quæcunque Septentrionem incolunt nationes, apud quas innumeros ferè videas nulla cogẽte ſiti, dies noctesque in meri potione conſumere, pleno & regurgitante ventriculo merum in ſummis deliciis habere. Quos ergo cæterarũ quas protulimus cauſarum impetus non trahit, hos vini ſuauitas vi quadã nec inuitos tamen blandè pellicit. Verùm quod vino inter potulenta peculiare eſſe vult Plinius vt nulla etiam vrgente ſiti ſua-

uiter bibatur. Vino quidẽ de naturali siti audiendum est non de voluptuaria, quæ separari à vino minimè potest: hãc vini suauitas parit & fouet, hac ipsa Septentrionales perpetuò anhelare quotidiana experiẽtia sic cõfirmatum, vt certò profiteri ausim, sitim illis deesse nunquam ad vini potionem: à perpetua ista siti, perpetua est in vinolentiam propensio. Præter hæc vrget vis quædam potentior cuius indomito ferè impulsu acti & edomiti, in sordidissimam intemperantiæ cloacam præcipites ruunt, in quam sensim corrupto sensu altè demersi vix vlla postmodum cœli solique & alimẽtorum mutatione, vix vllo tẽporum ac ætatis decursu ab ea reuocantur. Illa naturæ vis est à vitæ primordiis incita, quæ ne à sapientibus quidem nisi crebra, & diuturna cõtentione superatur. Transfunditur quippe à paterno corpore & concipitur vna cum semine ad ebrietatem inclinatio, simul cum Embrione cõformatur, cum puero nascitur, adolescit, viget: prauis aliorum exemplis incitatur, imitatione succrescit, demumque iteratis actibus

in habitum firmatur. Ecquis verò immergi vino turpe aut vitiosum apud illos putet, apud quos si aliter egerit turpiter egerit? Apud quos sua sunt popinonibus præmia, sui sunt honores? Denique apud quos pro poculis tanquam pro aris & focis videat decertari? sed quid externa ista commemoro, si verum est in intimis singulorum visceribus succensas ab ipso semine ebrietatis faces? Equidem vt nullum arctius vinculum quàm corporis & animæ in rerum natura inuenitur, ita communi societatis lege alterius vitium in alterũ redundare solet. Fertur in vindictam animus? Insanis torquetur amoribus? Ira succenditur? metu concutitur? Trahitur mox in consensum corpus, variè pro varia animi perturbatione concitatur vicissimque vt varie corpus afficitur, varios concitat animorũ motus (quales in melancholicis & phreneticis videmus) varie, pro varia sua dispositione mentem disponit, ad iurgia, ad rapinas, ad dolos, ad Venerem, & (quod in præsentia disquirimus) ad crapulam. Enimuerò non corporis dũ-

taxat affectus, ſed & animorum quoque vitia iure quaſi hæreditario, vel quadam potiùs generationis lege, à parentibus vtriuſque ſexus migrare in liberos, tam in Philoſophia & Medicina receptum quàm quod receptiſſimum, tam vſu familiari notum, quàm quod notiſſimum. Æneo ſeculo natos è fraxinis homines fingit Heſiodus, vt duritiem & feritatem ſignificet animorum, vel ferinam quandam illorum ad ſuſcipienda bella propenſionem: Nam ex fraxino tela & haſtæ conſtruuntur. Syſiphi progeniem Aiax Vlyſſi exprobat, quam ex morum ſimilitudine deducit.

Quid ſanguine Cretus (inquit)
Syſiphio, furtiſque & fraude ſimillimus illi,
Inſeris Æacides aliena nomina gẽtis?

Abhumoribus deciduntur ſemina, humores ſequuntur mores, vtrumque vini amor, hunc intemperentia. Quam ob cauſam verè ac diuinè conſulebat diuinus Plato, & à Platone Plutarchus, ne quis niſi ieiunus, aut ſaltem ſobrius generationi incumberet. Eodem ſpe-

ctans Diogenes Cynicus cùm iuuenculum quendam videret in luxum, in petulentiam, & in vinolentiam, valdè procliuem; Te, inquit, pater ebrius procreauit. Quis ergò miretur, aut stupescat in tam communi Septẽtrionalium & tam frequenti ebrietate liberos in ebrietatem pronos generari? A sanguine vino infecto atque permisto (vinoso æquiùs fortasse dixerim quàm venoso) vinosum elicitur apud illos semen, à vinoso semine vinosæ solidæ partes quæ reliquis pro fundamento substernuntur. Implentur postmodum vinoso sanguine inania corporis spatia: coagulantur ex vinoso sanguine parenchimata, eodemque fouentur, nutriũtur, augentur. A vinoso sanguine vinosi spiritus cum animales, tum vitales, vno verbo contẽta, continentia, & impetum facientia, à capite ad calcem vinosa omnia. Quidni ergò in vinum cœco naturæ ductu cieantur tanquam in genuinum & naturale principium? quidni vnde expressa, nata, sustentata, aucta eò se se continenter flectant & reflectant? Iam de materno lacte quid

dicemus? cui tanta vis ineſt ad diſponendos componendoſque animos, quãta latere poteſt neminem qui vel ratione mediocriter polleat, aut ſenſu, vel tantillum in hiſtoriarum lectione ſit verſatus. Lac vinoſo quo præditum eſt ſapore ſenſim palatum inficit, & afficit, ſenſimque ad vinolentiam longa, quæ ex aſſuetudine oritur, familiaritate pertrahit. Quod ampliùs eſt humores ſibi congeneros procreat, quos vt plurimùm ſequuntur mores vt ante dicebamus. Quam ob cauſam ſeuerè & ſapienter cautum à Medicis ne in nutricum delectu faciendo illas admittam' quæ aut in crapulam pronæ, vel prauis quibuſcunque tandẽ moribus ſunt imbutæ: Norunt enim polytici & ſapientes viri, tenellos infantulos vnà cum lacte morum exugere corruptelam.

Duris genuit te in cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæq; admorunt vbera Tygres.

Inquit apud Virgilium Dido, vt Æneæ immunitatem exprimat.

Troglodytas ferunt brutorum ani-

mantium ſuctu ferinos animos contrahere, ſi quid ab ortu & humana progenie humanitatis adepti ſunt, ferina nutricatione prorſus exuere. Admiratione dignum eſt quod in huius propoſiti fidem de duobus puellis proditum legimus, quorum ille ſuillo lacte enutritus, hic caprillo; belluinos vterque ſuæ nutricis mores præ ſe ferebat. Ille lutulenti ſuis in morem nudus amictuſque in cœno volutari, & cibos mandere ac vorare turpiter affectabat: hic caprarũ modo proſilire, fruticum & arborum ſurculos & cortices arrodere. Mirum itaque videri non debet quod tanto ſtudio, tanto feruore, aut furore potiùs in vinum, & vini comitem vinolentiam rapiantur Septentrionales, nutrices nacti non rarò vinolentas.

Hæc itaque ebrietatis ſemina primũ à parentibus erſita, mox ſtudioſè exculta defigunt radices altiùs, blando vini liquore, quodam veluti rore, conſperſa expullulant: Popinorum illecebris tanquam cœleſti calore afflatuque animantur, vana neſcio qua oſtentatione ſerpunt, manantque in dies la-

tiùs, sitis æstu concitata vim ingeminant, frequenti ac fere' assidua exercitatione obfirmantur, praua consuetudine consenescunt, neque ante commoriuntur tamen quàm in posteris reuiuiscant. Septentrionalibus omnibus communia, non tamen singulis. Plurimos certe' obsidet cùm à natura tum ex aduentu potens & violenta quædam in crapulam propensio: haud tamen necessariò de se actum promit, multò minùs habitum. Absit vt cordatos & temperantes viros, absit vt honestas & frugales matronas nostra conuellat oratio. Quos fœda contagij non attingit labes, probrum ad eos pertinere minime' debet. Verùm de nationibus hactenus, nonnulla subijciamus de tempore.

QVO ANNI TEMPORE CO-*piosiùs bibatur.*

CAPVT XXX.

DE hyeme & æstate potissimũ difficultas est, reliqua tẽpora vt me-

diam quãdam temperiem ſunt ſortita, debent ad illorum normam ea proportione referri qua ad alterutrum proximiùs accedunt. Quamobrem ad illa præſentẽ diſquiſitionem reſtringemus, in qua decidenda controuerſas audire eſt Philoſophantium ſententias illis affirmantibus,his negantibus.

Pro hyeme concludere videtur quod præcedenti quæſtione pro indubitato eſt poſitum. Nam ſi verum eſt Septentrionales plagas,apud quas maximam anni partem hyẽs occupat,potionibus & liberaliùs & frequentiùs indulgere quàm Meridionalium nationũ vllam, rectè meo iudicio infertur, hyeme quàm æſtate nos ad pocula paratiores euadere. Huius concluſionis veritatem plerique rationibus adſtruunt,illud in primis ex Galeno pro fundamẽto conſtituunt,aſſumptorum quantitatem effluxę ſubſtantiæ quantitati debere reſpondere. Hyeme verò ampliùs quàm æſtate ſubſtantiæ noſtræ detrahi probant hoc argumento. Hyeme vegetior eſt natiuus calor, ac intenſior, ab intenſiore calore maior humorum attenua-

tio, maior fusio: ab vtroque simul copiosior dissolutio, euacuatioque cum per insensiles corporis poros, tum per laxiores patentioresque vias. Exspiratum quidem promouent somni per id tempus longissimi: Quod crassius est per vrinas excernitur, quarum & copia largior, & consistentia crassior Hypostasis & liquoris. Ex quo duplex oritur sitis occasio, vna ex parte caloris, altera ex parte siccitatis, quæ duæ sunt vulgò à Philosophis receptæ sitis naturalis causæ. De calore quidem tritum illud Hippocratis oraculum, ventres hyeme natura calidissimi. Caloris actionem sequuntur quos modò dicebamus vacuationes, & has desiccatio, quæ reparationis necessitatem inducit, hoc est naturalem singularum partium sitim, quam mox sitis comitatur animalis, quę oris ventriculi est propria, neque ad largas cum voluptate inuitat potiones. Addunt ex eodem Galeno, multos ab alimonia dum in ventriculo coquitur sursum efferri halitus, qui stomachum & fauces calfaciendo siccant, sitimque proritant: iam vt fortior hyeme ventri-

culi calor, ſic & calidiores vapores. Dices in extraneum calorem potius ab hypocauſti vel foci perennis feruore concitatum quàm in natiuum referendam ſitis huiuſce cauſam; ſi ita eſt, quã quæſo prætexes rationem cùm apud naturalium hiſtoriarum ſcriptores legeris in feruidis Lybiæ deſertis feras aperto aëri quacunque anni tempeſtate expoſitas, per hybernum tempus largiter bibere, & à potu penitus per æſtatem integram abſtinere?

Hæc opinio vera de ſiti naturali ſupponit, quæ æſtati longè conuenientiùs quàm hyemi accommodari poſſunt: Quò verò faciliùs ſcrupulum omnem eximamus, lubet in iuniorum gratiam aliquanto latiùs & clariùs explicare; Primum quid ſit ſitis: deinde quomodo; poſtremò quibus ex cauſis oriatur: tribus hiſce capitibus expedita noſtræ difficultatis ſolutio.

Prima illa corpora ex quibus humana componuntur, qualitates inter ſe cõtrarias nacta ſunt, quibus inuicem agunt & patiuntur. Mutua illorum diſſidia redundant in humanum caput; ne-

que ante desinunt quàm corpora nostra dissoluerint. Et hæc quidem dissolutio quoniam alteratione fit, sensim fit & successu. Dissolutionem promouet importunus externorum occursus. Per se quidem nostram adoriuntur substantiam quæ præter naturam appellantur; Eandem ex accidenti profligant non naturalia vocata. Quamobrem in dies, in horas, in momenta de nostra substātia deperit aliquid, quod ad sui reparationem accessione indiget alimenti, huius porrò defectum aut penuriam supplemus assumptis. Sumendorũ tempus, qualitatem, & quantitatem sensus edocet in hunc vsum naturæ prouidentia ventriculò inditus. Duo namque veluti aculeos ori vẽtriculi inseruit (quos famem & sitim appellamus) quibus ad conuenientem alimoniam cùm opus est incitemur. Conuenientem inquam, quantitate (vti diximus) & qualitate? Quantitate quidem vt pote cùm in corpore bellè dispositio sitis famesq; defectui magna ex parte respondeant. Qualitate verò illi substantiæ simili quæ effluxit: solidas enim instaurãt par-

tes cibi calidi & ſicci circa quos verſatur fames: frigidas humidaſq; potiones ſiti ſappetit, quibus reficiũtur humorales. Nobis de naturali ſiti ſermo eſt non de ſymptomatica, quã præter naturam affectus aliquis inuexerit. Illius hæc naturalis cauſa.

Vt primum internæ externæque partes frigida humidaque ſua ſubſtantia ſpoliantur, quodá calido fit & ſicco, humiditatem omnem ac frigiditatem quantum in ſe eſt abſorbent, & exugũt à vicinis. Comparata in id opus vis attractrix, quæ illis cum vegetantibus eſt communis. Suo poſtmodum humido deſtitutæ partes trahunt viciſſim à proximis, & hæ ab alijs donec continuatione partium ad os ventriculi pertingat ſuctio, quam mox ſequitur vellicatio, quædam ac diuulſio in particula ſenſu exquiſitiſſimo prædita, hanc demum vellicationem potus appetentia conſequitur, quam ſitim nuncupamus, quæ tandiu ſtimulat, & moleſtè pungit dum indigentiæ ſit abundè ſatisfactum.

Iam ad rem cùm ſitis efficientes cau-

ſæ, calor ſcilicet, & ſiccitas poſitiua, æſtate quàm hyeme longè validiùs qualitates ſuas humanis corporibus imprimant; & contrarias potentiùs extrudant; concludendum neceſſariò eſt æſtate quàm hyeme ſitim vrgere vehementiùs, adauctaque per id tempus ſiti potum pariter adaugeri. Et ſanè non incaleſcunt modo atque exſiccantur corpora ab æſtiuo aëre, ſed & eorum humiditas in auras euaneſcit, partim inſenſili tranſpiratu, partim per conſpicuos ſudores. Diductis namque poris fuſis & tenuioribus redditis humoribus, nihil eſt quod externi caloris ſuctum tractionemque remoretur, ab externo ſuctu, exhauſtus corporis ambitus, humiditatem ab intimis partibus magna contentione pellicit, ab intento & violento ſingularũ tractu, intenta ſit & violenta oris ventriculi diuulſio, intentus quoque & violentus diuulſionis ſenſus, intenta & violenta ſitis, qua ratione moti Hippocrates & Galenus, & cum optimis medendi magiſtris vniuerſa medicorũ ſchola, potionem æſtate quàm alia qua-

cunque anni tempeſtate vberiorem indulgent, imò imperant. Sed quid auctoritate, quid ratione opus eſt? cùm humanus ſenſus locum prębeat experimento? an quiſquã eſt qui æſtate quàm hyeme longè aſperiùs & frequentiùs ſiti vrgeri ſe non ſentiat? Quorſum igitur inquiunt vſque adeò ſitibundi videntur qui gelidam arctum incolunt? Multas præcedenti capite inuenimus ſitis in illis cauſas: Inter cæteras aëris perenni foco æſtuantis calorem, qui æſtiuo Syrio pares quodammodo effectus exerit: Ad productã inſtantiam dico feras in Africa potionis non ſitis defectu æſtate à potu abſtinere: hyeme demum ſitim explere cùm potionis fit copia. Cætera quæ producuntur argumenta, ruunt ſuo pondere ex præfatis, vel leui certè momento diſſoluuntur.

Ad primum concedimus pro effluxæ ſubſtantiæ quantitate adaugeri ſitim aut imminui, niſi quid impediat, ſed tantum abeſt vt de noſtra ſubſtãtia plus hyeme depereat quàm æſtate, vt contrarium luculenter à nobis hactenùs ſtabilitum putemus. At intenſior hye-

me eſt internus calor, ab intenſiore calore, maior humorũ fuſio, maior ſubſtantiæ colliquatio, vnde & vrinæ copioſiores, ſomni præterea longiſſimi, quibus ſudores, & inſenſilis halituum tranſpiratio mirum in modum promouentur. Ventres hyeme ſunt calidiores, fateor, frigidior tamen habitus corporis, in quem vndequaque per æſtatem calor diffunditur, at quò plures incaleſcunt partes, eò grauior vrget refrigerij neceſſitas, à refrigerij neceſſitate ſitis grauior. Ventres inquam hyeme ſunt calidiores, quo calore? An igneo, qualis ab æſtiuis ardoribus? Naturali inquit Hippocrates, hoc eſt miti, benigno, naturæ benefico, & familiari, à quo laudatæ omnes actiones, cuius propriam coquere, nutrire, conſeruare, (ait Ariſtoteles) vt ignei diſſipare, corrumpere, deſtruere. Ab illo blandi excitantur vapores, ab iſto tetræ fuligines bilioſæ, retorridæ, acutiſſimi ad exaſperandam ſitim aculei. Denſatus verò & obſeratus ab ambiente glaciali corporis ambitus, vix occultæ tranſpirationi, multò minùs ſudoribus libe-

rum exitum esse finit. Quam ob causam vrinarum adaugetur copia, distentis multo sero vasis, cuius ab æstiuo feruore larga fit per diductos poros euacuatio. Vrinarum ab hoc ipso feruore tenuantur liquor & contenta. Scriptum reliquit Plinius inueniri nescio quod genus hominum, quibus ossa sunt solida & medullæ vacua, qui neque sudant vnquam, nec vnquam sitiunt. An quia non sudant non sitiunt? An quia non sitiunt non sudant? Ab exuberante certè humiditate sudor, à deficiente sitis. Si humiditatis defectu non sudant quidni sitiunt? Si eiusdem excessu non sitiunt quidni sudant? Caloris fortè penuria, qui corporum illorum mole (quam soliditas ossium planè terream esse contendit) velut obrutus atque suffocatus, neque humiditates in ambitum effundere, neque siccare potest atque resoluere. Id si ita est æstiui sanè caloris excessum potiùs, quàm hybernas glacies sudor, sitisque consequuntur. Sed dum presenti disquisitioni laboriosiùs insudamus, sitim quæ nos ad curiosa vocat proritamus

vehementiùs. Hoc itaque relicto discursu popinas excurramus, & insignés in arte popinaria magistros exploremus.

DE PRODIGIOSIS quibusdam potoribus.

CAPVT XXXI.

PRoditum reliquit Plinius reperiri aliquos vsque adeò addictos gulæ, vt cibis nunquam abundè expleantur. Et miratur solos ex omni animantium genere homines inexplebili ciborum desiderio teneri, id quod maiorum suorum scriptis consignatum, propria experientia confirmatum habuerat. Si cui fortè reliquus hac in parte dubitationi locus, antiquos percurramus, mille se se prodent heluonum exempla.

Theagemen ferunt Thasium Athletam solum sine alterius adminiculo vnico die Taurum comedisse: Milo Crotoniates in olympia quadrinum Taurum cum humeris impositum per stadium circumgestasset, & mactatum diuisisset, vno pariter die solus come-

dit. Aſtydamus Mileſius ab Ariobarzane Perſa inuitatus voraturum ſe ſolũ omnia pollicitus eſt, quæ pluribus eſſent parata; & id præſtitit: ſolus quæ nouem conuiuis apud Ariobaizanem parata erant ablegurijt. Lepidum de Sanctra legitur apud Martialem epigramma, in quo hæc habentur inter cætera.

Nil eſt miſerius, nec guloſius Sanctra.
Rectam vocatus cum recurrit ad cœnã,
Quam tot diebus, noctibuſque captauit:
Ter poſcit apri glandulas quater lũbũ,
Et vtramq; coxã leporis, & duos armos,
Nec erubeſcit peierare de turdo,
Et oſtreorum rapere liuidos cerros.
Dulci placenta ſordidam linit mappã.
Illic & vuæ collocantur ollares,
Et punicorum pauca grana malorum,
Et excauatæ pellis indecens vuluæ,
Et lippa ficus debiliſque boletus.

Stupenda equidem iſta ingluuiei protenta, ſed quæ tolerari poſſe videantur, ſi cum Scribita Cãtibaride Perſa natione conferantur: huic cùm mandendo eſſent defatigatæ maxillæ, hianti cibos inijcere ſolebant domeſtici, tanquam

in vas inane ac inanime. Vt vt sit de voratibus, popinonum longè frequentior & à moderatione magis dissita ingluuies seculorum omnium & gentium libris & suffragijs damnata. Plures hac in parte notat Martialis Acerram inter cæteros quod quacunque diei hora vino se infarciret, Sextilianum, & Panaretum. De Acerra hæc ille breuiter & acutè,

Hesterno fœtêre mero qui credit Acerram,
Fallitur, in lucem semper Acerra bibit.

De Sextiliano ista non minùs acutè, sed pluribus

Sextiliane bibis, quantum subsellia quinque
Solus, aqua toties ebrius esse potes.
Non hæc pelignis agitur vindemia prælis,
Vna nec in Thuscis nascitur ista iugis.
Testa sed antiqui fœlix siccatur Opini,
Egerit & nigros Maßica cella cados
A caupone tibi sex laletana petantur
Si plus quã decies, Sextiliane, bibis.

Alibi quoque de eodem Sextiliano legitur ſequens tetraſtichon.

Cùm data ſint equiti bis quinque nomiſmata, quare
Bis decies ſolus, Sextiliane bibis?
Iam defeciſſet portãtes calda miniſtros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

Addamus quartum de Panareto Epigramma in curioſi lectoris gratiam qui Martialis lepore non poteſt non plurimum delectari.

Cùm peteret ſeram media iam nocte matellum
Arguto madid⁹ pollice Panaretus.
Spoletina data eſt: ſed quam ſiccauerat ipſe,
Ne fuerat ſoli tanta lagœna ſatis.
Ille fide ſumma teſtæ ſua vina remenſus
Reddidit Oenophori põdera plena ſui.
Miraris, quantã debet cœpiſſe lagœnam
Deſine mirari: Rufe merũ biberat.

Quæ mox ſubiicio ſuperat fidem videntur humanumque captum, ſuos tamen auctores habent fide dignos. Auctor eſt Plutarchus hiſtoriæ veritate commendatiſſimus, maiorum ſuorum tempore pugilem quendam inuentum

(Alexandriæ vulgò paruum Herculem nuncupatum) qui vno eodemque die nouos in quaternos pastus conuiuas inuitabat, itaut non ante ientaculo absscederent inuitati, quàm succederent, qui ad prandium vocabantur: neque hi prius à prandio se subtraherent quàm tertij adessent, qui ad cœnam: quibus demum nulla temporis intermissione succedebant alij ad postremum. Solus

πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων

Nonus Hercules accumbentibus omnibus in singulis fixo firmoque (quod aiũt) pede obsistebat: vnus plures non Herculea quidem claua sed poculis adoriebatur & opprimebat. Quod de senibus quatuor narrat Paulus Diaconus inter minima reputãdum non videtur: Illorum ætates ad annos trescentos excurrebant, & quot quisque natus erat annos, totidem vini calices exhausit. Sed omnem admirationem superauit Firmus Imperator qui ex assidua compotandi consuetudine tantam cum vino familiaritatem iniuit, vt quantacunque epota copia sobrius appareret. Is quondam ab insigni popinone prouo-

catus

catus binas Amphoras vini plenas exſiccauit, nullo facultatis rationatricis diſpendio: Cui vlterius inſiſtenti vt etiam ſuperſtites vini feces ebiberet, abnuit, terram quippe bibi negauit. De Imperatore Bonoſio iactari per iocum ſolebat natum eum ad bibendum, non ad viuendum. Quem cùm in malam crucem agendum iuſſiſſet Probus qui imperio ſucceſſit, ſuſpenſum aiebat non hominem ſed lagenam. Alexander bellicarum rerum magnitudine verè magnus, ſed crapula fortaſſe maior, dies noctesque (vti paulò ante adnotauimus) in poculis ducebat. Lucij Piſonis qui Politiæ Romanæ præfectus fuit, fortuna inde initium habuit, quod præſente Tyberio duos dies integros totidemque noctes in compotatione tranſegiſſet. Tacitus hoc loco præterire non poſſum quod ab Ariſtotele & Plinio literis proditum inuenio, quorum auctoritate freta hæc oratio fidẽ nanciſcetur apud Lectores. Syracuſæ quondam (quæ Siciliæ caput eſt) viſum popinonem ferunt, tamdiu potare ſolitus, donec defoſſa in terram oua vel

natta, quo tempore mensæ accubiturus erat, obtecta excluderentur. Factum equidem si aliud quicquam in hoc genere stupendum, stupenda quoque præcedentia si temporis diuturnitatem spectemus quam compotando nulla interruptione consumebant. Nihilominus stupenda quæ subijciemus si potionum quantitatem mensuramque contemplemur. Quinto Ciceroni summi illius Oratoris filio, quondam Tergilla exprobrauit quod vnico haustu binos vini congios inaniret. Congius apud veteres ex opinione quorundam libras octo cum triente ponderabat, ex aliorum calculo libras nouem perfectè complebat. Quidam ad libras decem congium extendunt, è quorum numero Dioscorides. Horum de congio Romano audienda sententia est, illorum de Attico, qui nouem librarũ fuit. Duo ergò Congij Romani sex Nanceianas pintas æquabunt. Qui Cõgium librarum octo cum triente esse voluerunt libram ponderalem ad mensuralem reuocarunt, quæ ponderali sexta parte amplior fuit: Decem porrò

libris ponderalibus ſextam partem ſi detraxeris octo ſupererunt cum triente menſurales. Quamcumq; tandem ſupputationem ſectemur duorum congiorum quantitas ad pintas quinque Nanceianas vt minimũ pertinget. O inſignẽ ingluuiem tantò magis deteſtandam, quantò maiorem ex ea gloriam Cicero captauit, paterno nomine prorſus indignus, hoc vno fortaſſe apud heluones commendandus, quod paternam mortem armis Bacchicis vindicarit. Nã Marcum Anthonium paternæ cædis auctorem poculis frequenter aggreſſus eſt, & in ea concertatione victoriam reportauit ab eo, qui cæteris palmam præripuiſſe ſe gloriabatur, quique librũ in publicum ediderat de præclarè à ſe in re popinaria geſtis. Quanto verò Marcum Anthonium Cicero poſt ſe reliquit interuallo, tantò Nouellio Torquato Mediolanenſi hac in parte viſus eſt inferior, quo ſua ætate inter Romanos cùm in potationibus tum in potionum ſtabiliẽdis legibus nemo ſuperior, nemo acutior. Nam quæcunque apud Romanos circa popinã Torquati tem-

pore receptæ leges, vni Torquato (ſi Plinio credimus) referebantur acceptæ. Et ſanè quis hac prouincia Torquato dignior? Ad quem legiſlatoris munus æquiùs pertinuit quàm ad eum qui poſt largiſſima pocula ſtare in excubijs ſolebat, neque balbutire vnquã auditus eſt, neque de ſtomacho oppreſſo conqueri, neque àd vomitum prouocari, aut ad meiendum. Naturam fœlicem! infœlicẽ animum, qui naturæ bono ſic intemperanter abutebatur. Ceſſit nihilominùs is abuſus Torquati bono (ita deprauata hominum iudicia, vt quibus mulcta indicenda, ijſdem merces erogetur) Torquatus abſorptis vnico hauſtu congijs tribus preſẽte Tyberio ex Prætore Proconſul creatur: Vinolentiæ plus quàm barbaræ ac planè inhumanæ teſtem nanciſcitur Imperatorem plus æquo munificum & humanum. Ad perpetuam rei memoriam & fidem Tricongij agnomen adipiſcitur.

Iam nunc de aliis quid dicemus qui vinum in ventrem tanquam in ſellam vinariam ingeſſere? Inter eos Alcetas Macedo infundibili nomen obtinuit,

quod vinum ex infundibulo in os effusum indesinenter biberet. Plurima ex veterum monimẽtis describere in hanc rem liceret, quæ & humanum captum excedere videntur & fidem, nisi hac ætate nostra abundè suppeterent, quæ & cum prioribus illis conferamus, & oculatis testibus comprobemus. Vnicum proferam ex sexcentis ne aut longitudinis, aut maledicẽtię affectatæ suspicionem incurram. Quidam Motsichiensis hospes cuius hospitio appensa pro hedera corona, Motsichio Argẽtinam profecturus (distãt inuicem quatuor aut quinque horarum itinere) spõsionem fecit cum altero conciue suo integrum se vini dolium inter eundum exhausturum, nulla in itinere interposita, præterquam ad potationem, mora. Vinum viamque aggreditur, passus potùsque ingeminat sed proportione valdè inæquali, nam media via quo loco crucis effigies etiamnum erecta visitur, quod reliquũ erat vini penitùs absorpsit. Continebat dolium germanicas mẽsuras viginti quatuor. Lotharingica vocata pocula duodeuiginti, hæc ea-

dem ipſi menſura in vnicum paſtum familiaris fuit, quoties indulgere genio liberalius ferebat animus. Ita mihi ab eius filio qui defuncto patre hoſpitio ſucceſſit, renuntiatum memini. Pares habuit in Germania non paucos, quos tacitus apud ſe ſibi in memoriam reuocet curioſus lector, dum ego ad bibaces fœminas me conuerto.

FOEMINAS AB EBRIETAtis vitio non fuiſſe immunes.

CAPVT XXXII.

ANtiqui Mythologici amoris (quē falsò diis annumerarunt) varia nobis effinxere ſimulachra, ſummum eius in ſuperos, inferoſque in omne animantium genus dominium ad vinum referentia. Nunc amorē videas alto ſedentem ſolio, à Leonibus quadriga vectum: aliàs excelſo throno diuina maieſtate conſpicuum, dextra floſculos, ſiniſtra piſces tenentem, terramarique dominantem. Iam ſi Tyrannica ebrie-

tatis dominatio tabella foret exprimē-
dā,non Zeuxis,non Leucippi,nō Apel-
lis opera ſatis eſſet. Non anguſtioribus
certe finibus coarctatur ebrietatis im-
perium quàm orbis ipſe: nulla gens ab
eius ditione ſe ſubtrahit, Tyrannidem
promiſcuè exercet ebrietas in ſummos
medios, infimos, in reges, in ſubditos,
in vtrumque ſexum. Multa vndequa-
que congeſta in horum probationem
ex omni antiquitate teſtimonia, de viris
nullus hactenùs dubitationi locus, de
fœminis præſens erit oratio. Ignoſcant
honeſtæ mulieres, non tā ſexus infirmi-
tatem exprobrāti, quàm peculiare qua-
rundam præter naturam, præterquę ſe-
xum vitium deteſtanti. Scriptum anti-
qui reliquerunt Scytharum Thracum-
que mulieres vino ventrem veſteſque
perfundere ac eiuſdem odore tanquam
ſuffumigio ſuauiſſimo capi ſolitas: tra-
xit Illyricas haud minor ad crapulam
voluptas: addunt etiam glorioſum in-
ter illos fuiſſe, ſi qua conuiuas omnes
ſigillatim peculiari poculo prouocaſ-
ſet. Vinolentiæ quoque notantur He-
tonſcæ & Corſicæ: hoc nomine maxi-

mè quod obuios quoſcunque ad compotationes inuitarent. Mulier ebrioſa ira magna & contumelia,& turpitudo illius non tegetur (inquit Eccleſiaſtes) quo apertè innuit repertas ſuo tẽpore fœminas in ebrietatem procliues, quarum exempla locum experientiæ dederunt. Sed hæc in vniuerſum dicta ſufficiant, veniamus ad ſingulas, ne, in quas minimè redundauit culpa, redundare poſſit infamia.

Primàs meritò tenet in menſis Cleo, vt in muſis Clio, ſuperiorem quippe in exſiccandis crateribus nacta eſt neminem, imò ne parem quidem: Quam ob cauſam Bacchi aras ampliſſimis muneribus locupletauit, vt is grati animi à ſe referret præmia, cuius auſpiciis celeberrimæ bibulæ meruerat inſignia. Huius veſtigiis preſſo pede inſtitit Nanuium, ſed non ſine exiſtimationis diſpẽdio; Nam ebrietatis aſſiduæ ipſam iocosè notat Sophocles, dum deliram vocat ſtolidã ac perpetuo Bacchi amore, velut extra ſe poſitam & furentem. Varia in Epigrammatis habentur in rem præſentem: adſcribam ex Græcis &

Latinis aliqua in eorum gratiam qui adstricta muneris oratione delectantur magis quàm soluta, & lepidos non aspernantur Poëtarum sales. Primum inter Græca erit de Mortada cuius sepulchro insculptum erat dolium præteritę lætitiæ renouandæ gratia. Sic habent Græcæ, qua latinè subiiciemus dictāte crassiore nostra Minerua.

Μορτάδα τὴν ἱεραῖς με Διωνύσου παρὰ λυνοῖς
ἄφθονον ἀκρήτου σπασαμένην κύλικος,
ὃν κεύθει φθιμένην βαιὴ κόνις ἀλλὰ πίθος μοι
σύμβολον εὐφροσύνης, τερπνὸς ἐπεστι ταφος.

Mortada, quæ pateras olim spumantis Iacchi
Exhausi: multo labra rigante mero,
Nunc tegit exiguus puluis post fata: sed ecce
Lætitiæ signum continet vrna mea.

Alterum in Maronidē aniculam cuius tumuli insigne erat calix: & luget sub sepulchro quod inane sit aptum dicatumque Baccho instrumentum.

Τῆς πολιῆς τόδε σῆμα μαρωνίδος, ἧ ἐπὶ

τύμβῳ,

γλυπτὴν ἐκ πέτρης αὐτὸς ὁρῇς κύλικα·
ἡ δὲ φιλάκρητος, καὶ ἀεὶ λάλος, οὐκ ἐπὶ τέκνοις
μύρεται, οὐ τεκέων ἀκτεάνῳ πατέρι,
ἓν δὲ τόδ' αἰάζει καὶ ὑπ' ἠρίον, ὅτι τὸ Βάκχου
ἄρμενον, οὐ Βάκχου πλῆρες ἔπεστι τάφῳ.

Hic iacet annosa Maronidos vrna sepulchro
Insculptus docta prominet arte Scyphus.
Multiloqua ac temulenta fuit, neque mortua natos
Non inopis sortem fletq; doletque patris
Sed queritur ducitque alto suspiria corde,
Quod sacrũ Baccho vas sit inane meri.

Tertium in Aristomachem quæ mariti sui cædem falsò apud Minoem confessa est, vt perpetuò dolij aspectu foueretur rara se, si in eadem cum Danaibus esset causa, in eadem quoque ferè fortuna.

Ἡ Βρόμιον στέρξασα πολὺ πλέον, ἢ τροφὸς ἰνοῦ,
ἡ λάλος ἀμπελίνη γρῆυς ἀεισομάχη,
ἣ κιματὴν ἱερὴν ὑπέδυ χθόνα, πᾶν λ' ἐμαράνθη
πνεῦμα, πάρος κυλίκων πλεῖστον ἐπαυρομένη
εἶπε τάδε Μίνωι πάλαι, φέρε κάλπιν ἐλαφρὴν,
οἴσω κυάγεον τοὺξ ἀχέροντος ὕδωρ.

καὐτὴ παρθενίην γὰρ ἀπώλεσα τοῦτο λ'ἔλεξε
ψευδὲς, ἵν' αὐλάζῃ κἀν Φθιμένοισι πίθον.

Quæ plus quàm nutrix Ino est cõplexa lyæum
Garrula Aristomache, pãpinea, & vetula
Vt sacram subijt terrã, vt mẽs ossa reliquit
Quam densus Bacchi fouerat imbre calix
Eia vrnam profer Minoi dixit, & vndas
Mox ferrugineas ex Acheronte feram
Occidi sponsum, cædem mentita mariti
Posset vt optatum cernere functa cadum.

Vltimum Silenides quæ prope torcularia tumulum est sortita, vt meri recrearetur odore post funera, cuius sapore plurimùm reficiebatur in vita.

Τὴν τίτθην ἱέρων σειληνίδα τὴν ὅτε πίνοι
ζωρὸν ὑπ' οὐδεμιῆς θλιβομένην κύλικος,
ἀργῶν αὐτὸς ἔθηκεν, ἵν' ἡ Φιλάκρητος ἐκείνη
καὶ φθιμένη, ληνῶν γείτονα τύμβον ἔχῃ.

Sileni proles Hierõ quæ viscera nunquam
Quantumuis largo sensit onusta mero.
Vina meri quoniam petulanti ardebat amore
Contiguo, prælis mortua gaudet agro.

Acuta illa sanè & iocosa, & ista quoque lepidissimi & acutissimi inter Latinos Poëtæ, in Fescẽniam & Myrtalem. De Fescennia sic habet.

Ne grauis hesterno fragres Fescennia vino,
Pastillos cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dẽtes ientacula, sed nihil obstat
Extremo ructus dum venit è barathro
Quid quod olet grauiùs mistum Diapasmate virus,
Atque duplex animæ largiùs exit odor?
Notas ergo nimis fraudes, deprẽsaq; furta,
Iam tollas, & sis ebria simpliciter.

De Myrtale est quod sequitur non minùs pungens, & politum, nec in dispari subiecto.

Fœtere multo Myrtale solet vino,
Sed fallat vt nos folia deuorat lauri,
Merũq; cauta fronde non aqua miscet
Hanc tu rubentem prominẽtibus venis,
Quoties venire Paule videris contra,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Harum intemperantia, & aliarum id genus quarum plena antiquitas, sinistram de sexu vniuerso quibusdam opinionem peperit. Inter cæteros Athenæus omnes in vniuersum fœminas vino plurimum affici existimauit. Eam ob causam ab exiguis poculis abhorrẽt. Addit Axionicus affirmanti fœminę sola se aqua in potione vti minimè adhi-

bendam fidem ne ſi iureiurando ſe adſtrinxerit. Sed Antiphani non credendum inquienti miſerum eſſe alibi vxorem ducere quàm in Scythia, vbi nullus vini prouentus. Fuit is intemperatiſſimum ſexum plus ſatis intemperanter contumelioſus. Communis tamen vitij ſuſpicionem iniicit cõmune antiquorum decretũ in fœminas de vino interdicto, ſi verum eſt ex prauis moribus bonas leges profluxiſſe. Aquæ potui aſſueuiſſe Romanas mulieres, ſolos viros vino vti ſolitos manifeſtè declarat Martialis, dum coniugem ſuam hortatur vt abeat, vel moribus vtatur virilibus, hoc eſt vino indulgeat.

Vxor vade foras, vel moribus vtere noſtris (inquit)
Non ſum ego nec Curius, nec Numa, nec Tatius.
Me diuturna iuuant tractæ per pocula noctes,
Tu properas pota ſurgere triſtis aqua.

Interdicti auctorem Pompilium nominat Plutarchus, cauſam adſtruit, ne in crapulã deuolutæ fœminæ modeſtiam innatam, pudoremque verecundum

excuterent; quo excusso mox supinæ ruunt in obscœnos, illegitimosque cō-cubitus: & hanc primam legitimāque interdicti occasionem nonnulli fuisse volunt. Hoc argumento quod eadem in temulentas & adulteras pœna Romanis legibus sit constituta. Non alia certè (quantum iudico) Massilienses in Gallia, & Milesias in Carya vino interdixit. Sed quàm turpe, & quàm ignominiosum apud Italas Matronas fuerit temulentiæ vitium, ne si per leges quidem licuisset, apertè comprobauit Zaleuc⁹ Locrēsium legislator, cum edicto publico vetuit ne qua ex Locrensibus, nisi vino esset madida pluribus ancillis stipata incederet: futilem illarum pō-pam, & inutiles in magnifico stipatu expensas fieri solitas Bacchicæ ignominiæ metu cohibuit. Verum, proh mollitiem sexus! Plurimas à Temeto non actionis turpitudo, non magistratus auctoritas, non pœna deterruit: Romuli iudicio liberatus est Egnatius Mecennius (si Plinio credimus) cùm coniugem à se depræhensam vinum ex dolio bibentem sua manu interfectam esse

fateretur. Addit Valerius Maximus à nemine culpatum, aut increpatum, neque in ius vocatum Mecennium fuisse, quod communi voce & suffragio cõiux iure cœsa crederetur. Domitij sententia sua dote caruit matrona quædam Romana quod in vini mensura valetudinis præscriptum fuisset prætergressa. Proditum Romanorum annalibus aliam quandam fame damnatam quod arculam resignasset in qua cellæ vinariȩ clauis reclusa tenebatur. Grauis equidem pœna in tam leui culpa, sed grassante delicto opus est exemplo: summa quippe illecebra peccandi impunitatis spes, maximè in tanta vini suauitate, qua se patulis ac hiantibus faucibus; capi sinunt incauti, vt hamo pisces; Cuius blanditijs sæpe etiam vincuntur cautiores, iam nunc si in tam seuera legum austeritate non paucæ aperto se capitis periculo obijcere, quàm viuere temperanter maluerunt, quid tandem contigisse putandum est, quo tempore diuulsis ac veluti effractis statutorum repagulis, nullo obstaculo superstite suo cuique arbitrio viuere, & bibere

licebat? Sæuijt horrenda temulentiæ pestis, in vniuersum fœminarum genus nouorum symptomatum parens, quibus effrenem sexum iuste, sed atrociter exercuit. Testem appello Senecam (neque enim longiori probatione opus est hac in parte) hæc ille oculatus testis omni exceptione maior. Mulieres (inquit) cùm virorum licentiam æquarint corporum quoque virilium vitia æquarunt, neque enim minus peruigilant non minùs potant ac oleo & mero viros prouocant, atque inuitis ingesta visceribus per os reddunt vinũque omne vomitu reijciunt, atque niuem rodunt solatium ventriculi æstuãtis. Libidine verò neque maribus quidem cedunt pati innatæ. Quid ergò mirandum est maximum medicorum ac naturæ peritissimum in mendacio depræhendi, cùm tot fœminæ podagricæ sint? beneficium sexus suis vitijs perdiderunt, & quia fœminã exuerunt damnatæ sunt morbis virilibus. Mulierum itaque podagra non tam in oraculis Hippocraticis mendacium, quàm in illis intemperantem luxum luxu-

riamque coarguit. Hactenùs varios variarum cōditionum & ſexuum bibulos propoſuimus ex veterum monumentis: Nunc eoſdem ſi lubet in arenam producamus, conuiuium inſtruamus opiparum quò ſe liberè ſuo quiſque more & arbitrio expleat.

CONVIVIVM ANTIQVORVM *popinonum.*

CAPVT XXXIII.

Conuiuium paramus antiquo more quo ſuum appetitum expleant antiquitatum ſtudioſi: ciborum penuriam larga potione ſuppleant, noſtras compotationibus dicamus menſas, veterumque in compotando ritus loquēte quaſi tabella depingimus: ſi cui fortè è noſtris arridebunt, prodeat in mediũ, non paucos ſibi adſciſcet ſodales, non enim lōgo interuallo noſtra ſæcula à prioribus hac in parte diſcrepat: imò verò accuratiùs prauos antiquorum mores popinones noſtri conſectantur in menſis, quàm Philoſophi probatas

eorum leges, quorum ſcripta demirantur in ſcholis. Verùm quoniam diuturniores iſtæ epulæ, quàm vt defixo in Ebriacos aſſiduè obtutu continere ſpectatores liceat, ne faſtidium pariat ſatietatis mater ſimilitudo grata varietate: paſcemus curioſorum oculos, recreabimus attentionem breuitate, diſcendi ſtudium facilitate ſubleuabimus. Quā ob cauſam rem totam in capita propria velut in fercula digeremus, eo ferè ordine qui veteribus in concertationibus Bacchicis familiaris fuit.

Illorum ante omnia accumbendi cõſuetudinem menſaſque in genere deſcribemus, mox peculiares proferemus ſingularum nationum notas quibus ſuis quaſi coloribus diſtinctæ, à ſe inuicem primo intuitu diſcernantur, tum de craterum & vini varietate diſcurremus, de ordine in cõpotationibus ſeruari ſolito, & de tempore: circa quod inquiremus. Nunquid quacunque anni tempeſtate crapulæ nullo diſcrimine indulſerint an particularem aliquam ſelegerint ad pocula tempeſtatem. Interim dum Baccho litabunt opiparè,

oronas nectemus, vnguenta compo-
emus, propulsandis Temeti molestiis
ccommodata; honorifica etiam præ-
nia eximiis potoribus decernemus: his
eluti armis accincti, honore accensi &
ræmiis, nouo indito robore, nouos
nimos sument ad pateras, nouos ag-
redientur conflictus validiore quàm
nteà conatu. Nequis verò cautè se
ubtrahat ab aliorum cœtu, vel subdo-
è bibendi onere se leuet, leges prome-
nus popinarias quibus suo quisque
oco, suo contineatur in officio. Et
quoniam cantus choreasque inuitat
solutis animis Lyæus, cantus choreas-
que vltima mensa inducemus, demum-
que tragemata pro coronide offerem⁹,
qualia in Pharmacopoliis vix reperias.
Varia erit Catastrophe vt varia mens
accumbentium: hi Bacchico furore
concitati tragædias excitabunt, illos
Bacchi aura benignior ad ineptias inci-
tabit, ad facetias, ad iocosa. Descen-
dant modò in apertum campum stre-
nui certatores, prælium ineant: Sed
quem in campum? quo situ?

QVIS ANTIQVORVM situs in mensa.

CAPVT XXXIIII.

Symposiarchi partes non aggredior, penes illum sunto quæcunque ad conuiuij apparatum, singula is conuenienti ordine disponat, proprium cuique designet locum, aut peculiarem sibi deligat suo quisque arbitratu. Mox procumbentes in ventrem omnes videbitis aliquantum erecto capite, innixis puluinari cubitis, liberis lacertis & manibus, reliquo distento corpore. Situs is plurimis nationib⁹ familiaris fuit: Iudæis maximè Græcis & Romanis, vt bellè à Mercuriali annotatum viro antiquitatum studiosissimo. Mihi sane si aperire licet quod sentio, affirmare ausim communem ferè populis ciuilioribus fuisse, præsertim in conuiuijs solemnioribus, Latinus vates in regio Didus conuiuio, conuiuas omnes ostro instratis lectis accumbentes facit.

Iam pater Æneas, & iã Troiana iuuentus

Cōueniunt, ſtratoq́; ſuperdiſcūbitur oſtro.
. Æneidos, Et alibi,

tu das epulis accumbere diuum.

Cicero Vatinium criminatur quod tratus ad menſam accumbebat: vbi opinionem noſtram cumulaté cōfirmat. Vox accumbere, quam noſtris etiam temporibus vſurpamus, licet priſcorū mos obſoluerit. Eundem morem tenuiſſe Perſas veriſimile eſt, cùm ſcriptis proditum reperiamus Perſarum Reges ſolos in publicis conuiuijs diſcubuiſſe lectis pedibus aureis ſuffultis. Etſi verò dubitari non poteſt ſedere in mēſa conſueuiſſe Ægiptios, certum tamen eſt in ſolemnibus epulis feſto publico dicatis, quod Lagœnophorian vocabant lectulis accubuiſſe.

Lectulis porrò indita nomina vel à numero, vel à forma. A numero vt Biclinium, Triclinium: à forma vt ſigma. Biclinium dixêre locum in quo lectuli duo inſtrati, de quo Plautus in Bacchide, in Biclinio cum amica ſua vterque accubitum eatis. Et alibi. Biclinium eſt vobis ſtratum. Triclinium, in quo lectuli tres conuiuis deſtinati, iſtud

probant Horatiana verba.

Sæpè trib⁹ lectis videas cœnare quaternos

Vbi auaritiam notat eius qui quaternos tantum conuiuas tribus excipiebat lectis, cùm nouenis essent destinati lecti tres, ternis singuli. Cœterorum lectorum accommodatissimum habitum est Triclinium, sigmati proinde substitutum, quod Biclinium propriè fuisse scripsit in Antiquis Lipsius. Sed sententiam mutauit postea duce Apuleio, ex cuius mente sigma describit suggestum quoddam ligneum (siue qua meliore materia) semirotundum, in quo perpetuus lectus vnus ad sex septemque conuiuas recipiendos. Descriptionem confirmat suam his Apulei verbis: visoque statim proximo semirotundo circulo propter instrumentum cœnatorum, rata refectui suo commodum libens accumbit. Notet hic lector curiosus accumbendi voce vsum Apuleium, quæ est ad rem nostram. Secus aliter Ditmarus qui Othonem Imperatorem solum ad mensam quasi semicirculum factam loco ceteris eminentiore sedisse ait, cùm antiquam Roma-

norum conſuetudinem reuocare cuperet, magna ex parte iam ſuis deletam temporibus: antiquorum igitur Romanorum conſuetudo fuit ſedere ad menſam ex Ditmari calculo. Niſi fortè dicamus in hoc ſaltem Romanos antiquos imitatum Othonem quod menſa quaſi ſemicirculum facta vteretur, quæ ſuo tẽpore obſoleuerat, quamuis priſcum accũbẽdi morẽ minimè retineret. Sed huiuſmodi deſidia nihil ad nos, cùm ſatis cõſtet ex veterum monimentis mẽſæ accumbere ſolitos Romanos. Ex hoc eodẽ Ditmari loco apertè colligitur menſæ vti lectulis communem ſigmatis appellationem fuiſſe. Et ſanè menſarum formam lectulorum formæ reſpondiſſe omninò putandum eſt. Si ergò ſemicirculari forma menſa fuit qua parte conuiuas ſpectabat, lectum Hemicycli pariter formam obtinuiſſe neceſſe eſt, & vice verſa. Id vox ipſa indicat, nam ſigma lunata forma inſtar maiuſculi C latini depictum in veteribus ſcriptis videm⁹. Cùm itaque ambo ſigmatis ſpeciẽ retulerint, tribui vtrique ſigmatis nomen haud inconuenit.

Biclinio & Triclinio ſuæ quoque propriæ fuerunt & peculiares menſæ extractæ patibuli forma. Sed parùm iſtud ad noſtrum inſtitutum; nobis mens ad conuiuas, non ad menſas, ad illos orationem conuerto, peculiares ſingulorum mores aurib⁹ & oculis adſtantium ingerere aggredior.

QVALES FVERINT PECVliares ſingularum gentium mores in menſa?

CAPVT XXXV.

VArios variarum nationum bibulos in vnum me conuiuium inducturũ recepi, Ecce promiſſum exoluo. Verùm vos admodum occupatos video in ſingulis diſcernendis, modò in hunc, modò in illum oculorum aciem curioſe inflectere, dubitãtis in morem atque inquirentis. Tacitæ diſquiſitioni veſtræ mox ſatisfactum audietis modò ne pigeat aures animoſque tantillum adhibere. Iſti quibus ampli crateres ad dextram, Græci ſunt inſulares ex Thaſo

& Chio.

& Chio. Illi ſunt Athenienſes,aut ex Attico ſolo quibus etiam ſitæ ad dextram pateræ ſed anguſtiores. Illi ſic ardẽtes ad pocula, qui prima ſtatim menſa Bacchicos ineunt congreſſus, ſunt Theſſalonicenſes. At longè ardentiùs primo ſtatim inſultu incaleſcunt Macedones, quos iam efferueſcentis Bacchi vis obſidet. Ecce vt Sybaritæ, vt Ægiptij multò ſe cautiùs gerunt, caulib⁹ elixis & eorum ſemine viſcera præmuniunt antequam in arenam deſcendant, prophylactico præueniunt imminentem cladem. Sed quis illa alia ex parte rumor? Perſas agnoſco mutuò ſe ad æqualia pocula compellentes. Quorſum verò effuſus ſanguis? amicitiæ nõ diſſidij Symbolum hæc effuſio apud Carmaniæ populos Aſiæ minoris incolas: Ecce vt in mutuos amplexus ruunt, mox frontem vulnerant, prorumpentẽ ex vulnera ſanguinem pateris excipiunt exceptum abſorbent, mutuum affectũ amplexu, vulnere, ſanguine, potione teſtantur.

Noſtin antiquos noſtros Gallos? Illi ſunt quos minutos & rorãtes ſuos hau-

ſtulos delicioſè pitiſſantes intueris. Ingenioſæ deliciæ, quæ voluptatem corporis cum vtilitate coniungunt. Quàm præſtat ſuauiſſimo vini ſapore ſenſim ac blandè perfrui quàm longo largoq; cratere fauces ventrẽque raptim obruere. Vltimo diſcumbant loco Parthi gladijs accincti : neque enim vnquam inermes conuiuijs interſunt, ortas furore Bacchico lites armis dirimunt, effrenatam vini licentiam retundunt armata manu. Cautè equidem, at vereor ne periculoſè: arma ebrio perinde ſunt ac furioſo, Nulla in Bacchum armatura ſobrietate fortior, nulla ſecurior. Miraris fortaſſe nonnullos ſcyphum perpetuò habere à latere, alios dumtaxat cùm bibituri ſunt poſcere. Pendet vtrumque ex ſingulorum arbitrio vtrũq; apud antiquos receptum, ſed illud magis. Nam & Agamemnoni probatum legimus apud Poëtam vbi Idomeneum ſic alloquitur.

Vt mihi, plena tibi ſemper ſint pocula, poßis
Quo bibere vt mens ipſa lubet.

Et ſolitum apponi ſingulis Homeri

conuiuis caniſtrum, & poculum vt ſuo quiſque nutu biberet. Circa quod aduertant Homeri ſtudioſi apud antiquos duas fuiſſe menſas vnam epularũ alteram poculorum. Epularum illa fuit in qua Heroës cibo & potu alternis fruebantur, prout ferebat animus, in quem vſum ſuum cuique poculum apponi ſolitum diximus. Poculorũ menſa illa erat quæ ab eodem Homero ſignificatur cùm pueros introducit finito paſtu vinum Heroibus miniſtrantes nulla ampliùs ciborum facta mentione. Hæc Homeri verba ſunt.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο
Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο
Νώμησαν δ' ἄρα πᾶσιν.

Poſtquam epulis exemptus amor potuſque cibique,
Crateras pueri vino ſpumante coronant
Diſtribuuntque viris.

Cleomenis verò frugalitati & parcimoniæ potiùs quàm publicæ Lacædemonum conſuetudini acceptum ferũt nonnulli, quod in familiaribus conuiuijs pocula cuiquam niſi poſtulanti vetaret exhiberi. Hic nos à potoribus ad

pocula deduxit orationis ſeries, de his agamus breuibus. Poculorum nomine vaſa potoria comprehenduntur & vina: Nunc de potorijs, mox de vinis.

DE POTORIIS ANTIQVO-rum vaſis.

CAPVT XXXVI.

VT varij fuère antiquorum in potando mores, ſic & potoria varia: horum quædam ad vſum ęgrotantium, alia ad ordinarias & frugales męnſas, nonnulla ad compotationes largiores.

Apollonius & Dexippus ambo ex Hippocraticis ſcholis profecti, ſcyphos exiguos duodecim ex cera concinnabant, quibus ęgrotantium potum metiebantur.

Vaſa ordinaria ad quotidianos vſus trium generum præcipuè inueniuntur apud probatos auctores. Indita ſingulis à menſura appellatio. Omnium minima ſunt quos ſextantes vocant, ſic appellata quot ſextam ſextarij partem contineant, hoc eſt vini vncias tres &

duellam vnam menſuralem. Mediocria ſunt quæ Trientes, ideò nominant, quod tertiam complectantur ſextarij partem, modernis ordinariis ferè ęqualia. Capaciſſima deunces dicta, liberalibus compotationibus accõmodata, vncias duodeuiginti capiunt, & duas ſextulas. Prima & vltima vnico iſto carmine complexus eſt Martialis.

Poto ego ſextantes, tu potas Cinna deunces

Idem de Luſco

Miſceri ſibi protinus deunces
Sed crebros iubet

De ſecundis eſt iſtud Propertij

Cùm fuerit multis exacta triẽtib⁹ hora.

Iſtud item Martialis

Septem poſt calices opiniani
Denſo cum iaceam triente blæſus.

Inter iſta media quædam fuère alia quatuor, quinque, ſex, ſeptem cyathorum, ſed minùs frequentia, quorum meminit Martialis.

Quincũces & ſex cyathos beſſẽq; bibam⁹.

Etſi verò ebrietati protinus inducendæ parum efficacia videntur mediocria id genus potoria, ſenſus tamen & mẽtem ferunt atque occupant frequenter

repetita. Ita probat illud Martialis in Zoilum.

Septunce multo deinde perditus ſtertis.

Quamobrem à noſtris epulis ne reiiciantur, vt ſingulorum modulo ſeruiamus, & moribus, quos varios paulò antè contemplati ſumus in variis conuiuis noſtris, quibuſdam minutulos hauſturos primore lingua pitiſsãtibus, aliis primo ſtatim occurſu plenis quod aiunt buccis, amplos crateres abſorbentibus. Hæc de ordinaria calicum menſura nunc de materia & forma. Ad vtrumque quod attinet certum apud apud me eſt primos potores cornibus ad potum vſos, ſiue tum rudioribus ſæculis ars deeſſet & induſtria potoria concinnandi, ſeu vitrorũ penuria, ſiue metallorum, ſeu cornua cæteris præferrent vt pote vel ampliora, vel tutiora, cùm ad impediendam ebrietatem, tum ad compeſcendas ebrietatis ſtrages, veneficia edomanda, denique ad profligandos quoſcunque tandẽ morbos. Hanc vltimam rationem inter cæteras admittit Mercurialis, in cuius fidem teſtem citat Ælianum, à quo me-

moriæ proditũ Indiæ Reges aſini Indi cornu pro ſcypho vti ſolitos, tanquam prophylactico morbi conutialis,& veneni. Hanc ipſam confirmat Regis cuiuſdam Indi reſponſum Apollonio referente. Is rogatus cur patera biberet cornu Rhinocerotis conſtructa, vt à crapula me vindicem, inquit. Valuit eadem ratio apud eos quibus horum aliorumque id genus cornuum nota vis ſingularis fuit: priores verò apud cæteros qui non aliis ferè quàm bubulis cornibus vtebantur, quibus virtutem nullam tribuebant beneficam aut ſalutarem. Variæ porrò nationes in potu aſſueuère cornibus. & variorum animalium, nam omnibus ferè caua ſunt cornua, ceruis tantùm ſolida & ſingulis annis decidua: cornibus bibebat Macedonum Rex Philippus ſi quando conuiuas genialiter exciperet. Inſolemni quondam Seleuthis Thraciæ Regis conuiuio potoria nulla viſa ſunt præter cornua. Verùm adaucto poſtmodũ faſtu poſteritas à priſca ſimplicitate defecit, auro argentoque cœpere obduci cornua, formari etiam argentea, qua-

lia Athenienſibus familiaria. Huius generis non pauca conſpecta Romæ cùm de Perſeo Macedonum Rege triumpharet Paulus Æmilius. Nec dum obſoleuêre noſtris tẽporibus apud Germanos Principes & Nobiles. Alij tamẽ adſcita potoria penè innumera, pretio, figura, magnitudine plurimum inter ſe diſcrepantia, & à longiore æuo. Tornata quōdam diuerſorum animantium cornua diuerſis formis. De bubulo ſic Martialis.

Geſtauit modo fronte me Iuuencus:
Verùm Rhinocerota me putabis.

Potātur fictiila ad communes menſas, viliora tamẽ apud veteres habita (Gallōs excipio) quàm vt in conuiuio illis eſſet locus. Addo apud Perſas figlinis vaſis ſolos bibere ſolitos qui omni eſſent honore ſpoliati: ſed & eò deuenit luxuria vt pluris conſtarent murrhinis, inquit Plinius: Primi generis fuère ſaguntina.

Quæ non ſollicitꝰ teneat, ſeruetq; miniſter
Sume ſaguntino pocula ficta luto.

Poſterioris videntur ſurrentina, Martiali commendata hoc diſticho.

Accipe non vili calices de puluere natos
Sed surrentinæ læue toreuma rotæ.

Aretina quoque sua laude minimè caruisse docet idem Martialis.

Aretina nimis ne spernas vasa monemus,
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

De neutris tamen intelligēdus Plinius, de Vitellij patina loquitur quam ducētis sestertiis condidit, cui faciendæ fornax in campo exædificata erat. De copsiis etiam vasis potest intelligi quorum basis argilla nullius ęstimationis & valoris, miscella autem Aromatica celebris & pretiosa, ex myrrha, croco, iunco odorato, cinnamomo, balsamo & aliis id genus. Rhodiis honos haud inferior fuit, æstimatio non minor, neque minùs artificiosa compositionis industria, nam & ebrietatem arcere, & infestos vini halitꝰ resoluere credebatur. Qualia porrò fuerunt murrhina nostra ętate controuersum inter doctos.

Illa describam ex Plinio. Oriens (inquit) murrhina mittit: inueniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maximè Parthici regni, præcipuè tamen in Carmania. Humorem putāt

ſub terra calore denſari. Amplitudine nuſquam paruos excedunt. Abacos craſſitudine varij, quãta dictum eſt vaſi potorio. Splendor his ſine viribus, nitorque veriùs quàm ſplendor. Sed in pretio varietas colorum, ſubinde circumagentibus ſe maculis in purpuram candoremque & pretium ex vtroque igneſcentem, velut per tranſitum coloris purpura rubeſcente, aut lacte candeſcente, ſunt qui maximè in ijs laudent extremitates, & quoſdam colorum repercuſſus, quales in cœleſti arcu ſpectãtur. His maculæ pingues placent: tranſlucere quicquam aut pallere vitium eſt, Item ſales verrucæque non eminentes: ſed vt in corpore etiam plerumque ſeſſiles. Aliqua & in odore commendatio eſt. Hactenus Plinius. Ego vero, ne pluribus morer lectorem in recenſendis aliorum placitis, dicam liberè probabile mihi videri, murrhina quondam ex Argilla conſtitiſſe polita, nitida, pellucida, variegata, varijs aromaticis permiſta, myrrha inter cætera (àqua fortaſſè notationem traxerunt) Aromatum odore ſaporeq; veteribus celebrata. Noſtram

ſententiam tuetur illud Martialis.

Si calidum potas ardenti myrrha falerno
Conuenit, & melior fit ſapor inde mero.

Myrrhina idcirco vocat non murrhina, picta etiam vocat propter varietatem colorum.

Surrentina bibis, nec myrrhina picta, nec aurum (inquit)
Sume, dabunt calices hæc tibi vina ſuos.

Fictilibus acceſſere vaſa vitrea, cryſtallina, argentea, aurea gemmata, quibus ars non definit, ne quid luxui deeſſet & faſtui: nam quædam ex his induſtria quã materiæ cuiuſcunque pretio cariora: de quibus Martialis.

Quamuis Callaico rubeã generoſa metallo,
Glorior arte magis; nam Myos iſte labor.

Vitrea erant ad populares menſas vti & figulina, iſta teſtatur idem Martialis.

Non ſumus audacis plebeia toreumata vitri,
Noſtra nec ardẽti gemma feritur aqua.

De Gemmato calice loquitur, quemadmodum & iſto altero epigrammate.

Gemmatum ſcythicis vt luceat ignibus aurum,
Aſpice quot digitos exuis iſte Calix.

Curiosa id genus luxus fastusque inuēta respuit idem Martialis, priscam simplicitatem renouari iubet.

Tolle (inquit) puer calices, tepidique toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu.
Trita patrũ labris, & tonso pura ministro:
Antiquis mensis restituatur honos.

Et nos hæc ipsa reijceremus à nostris epulis si liceret. Verùm nobis propositum blandiri accumbētibus suo quemque arbitrio sinere, singulorum cupiditatibus seruire. Quamobrem ne quid à quoquam desiderari hac in parte possit ad plenam voluptatem, in eorum gratiam qui amplis poculis delectātur vastos illos crateres promamus ex antiquorum penu, qui insignibus potorib⁹ laudem quandoque attulère & præmia, quibusdam contrario euentu probrum & funera. Conuiuis nostris horum vel præcedentium delectus esto, si puteum postulant, Hem profero illum ipsum quo inebriatos omnes quotquot cum Socrate accumbebant vnico Agathone excepto, paulò ante accepimus. Herculem malunt? offero, sed sapiant

Alexandri malo. Elephantem ſuppeditabit Ipſicelis tricongij menſura, præfato Hercule congio vno capaciorem, ſed neque murrhinus deerit calix, capax planè ad tres ſextarios, ex quo potaſſe conſularem narrat Plinius. Neque Phialiam vocatam pateram denegarit Philippus ſi popoſcerint ipſo licet auro chariorem. Illam enim Philippi puluinari perpetuo ſubiectam ferunt, vt Alexandri capiti pugionem & Homerũ. Habebunt ad manus Pruſiadem, Alexandrum, Seleucidem, Antigonidem, & ſi quæ aliæ donatæ Heroum nominibus pateræ, eo digerentur ordine, vt facilè ſub obtutum cadant.

Pruſias illa eſt quæ ei à quo nomẽ accepit ampliſſimũ reddidit. Altera eſt quã ebibere recuſauit Calliſthenes, veritus ne epoto Alexandro indigeret Æſculapio. Capaciſſima fuit Seleucides, Seleuci Syriç Regis, Atheniẽſis Reip. aſſertoris, memoriæ ab Athenienſibus cõſecrata. Antigonidem vnà cum Seleucide ex Regia Macedonũ ſuppellectile direptam debellato Perſeo triumphator Æmilius Romæ in triumpho exhibuit

Menſuras continebat crater is argenteus quem pro velocitatis præmio Pelides in Iliade conſtituit, amplitudine, & artificij præſtantia ſummè ab Homero commendatus. Cothoni Laconico nullus hic locus, neceſſitati ſeruit,non voluptati: guttus eſt ſic affabre elaboratus vt bibentis oculum fallat ne liquorem intro contentum facilè diſcernat inuentus ad militares vſus, cùm in ſumma potionis penuria ad turbidas & torpentes aquas cogit ſitis: ſi quid ineſt lutulenti hæret in margine, nullus inquam huic artificio locus in tãta vini ſelectiſſimi copia, quod grato odore nares, colore oculos, palatum, ſtomachumque ſaporis ſuauitate titillat, & recreat, niſi tum fortè cùm vino perditi popinones ea permiſcebũt quæ & vidiſſe horrorẽ incutiat, & guſtaſſe pœniteat. At vereor ne de potorijs plus ſatis ſolliciti de vinis parum tempeſtiuè cogitemus.

ANTIQVOS VINI VARIE-tatis fuisse curioses.

CAPVT XXXVII.

VT vini varietate delectabantur Græci, ita & Latini;

Capaciores affer huc puer scyphos
Es Chia vina aut Lesbia:
Vel quod fluentem Nauseam coerceat
Metire nobis cæcubum.

Ait Poëta Lyricus. Et Martialis iocose Lētinum increpat quod lētam febrem sua intemperantia foueat,& vini varietate sustentet ac inebriet.

Quare tam multis à Lentine diebus,
Non abeat febris, quæris, & vsque gemis? (inquit)
Ebria setino fit sæpe & sæpe falerno
Nec nisi post niueam Cæcuba potat aquam.

Gulam pariter febricitanri Tōgilio exprobrat, vini varietate sibi blandienti.

Cæcuba saccentur, quæque annus coxit opimi,
Condantur parco fusca falerna vitro.

Annotauit Plinius anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto ab vrbe condita Romanos in conuiuiis celebribus, præter Romanum vinum, Græci ſcyphum ſingulis accumbentibus fundere ſolitos, magno licet pretio compararetur. Addit quatuor vini genera exhibita fuiſſe in Cæſaris Dictatoris conuiuio pro tertio conſulatu. Eundem hac ætate morem in noſtris ſympoſiis retinemus, potum à vinis albis vt plurimum exorſi, mox ad rubella progredimur, ad fuſca, ad nigricantia aut ſi quæ alterius coloris. Quæcunque ad conuiuium parabantur vina, conuiuis omnibus erant ſine diſtinctione communia. Si quis peculiare ſibi, aut alteri vinum reſeruaſſet, egerat præter conuiuij, præter communis liberalitatis, præter honeſtatis leges. Quo nomine molles quoſdam & ſordidos notat Plinius: Et Zoilum deteſtatur Martialis quod vna eademque mẽſa potus ciboſque miniſtret inæquales.

Ligurumque nobis ſaxa cùm miniſtrentur (inquit)
Vel cocta fumis muſta Maßilitanis,

Opinianum morionibus Nectar,
Crystallinisque, myrrhinisque propinat.

Pontico item probro vertit quod scyphi opacitate vini varietatem tegat.

Nos bibimus vitro, tu myrrha Pontice, quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

Iocatur alibi hoc disticho in inuitatorem vina variè commiscentem.

Veientina mihi misces, tu maßica potas:
Olfacere hæc malo pocula, quã bibere.

His verbis reuocat mihi in memoriam receptam quibusdam in locis consuetudinem vina permiscendi, & diluta offerendi, miscellam hanc amplis vasis excipiebant, quos ideo crateres appellabant. Communis erat inuitatis omnibus potio solo quantitatis discrimine, dignitate & honore præstantioribus plenis infundebatur scyathis, in cæteris quidam seruabatur modus, quanquam non ita stricte vt apud Parthos & Candiotas, apud quos certa & æqualis erat singulis mensura. Nullam determinatam nostræ ferunt mensæ, tantam nostris potoribus concedimus quantum vix capiat stomach⁹ aut vix ferat. Liberè

igitur ac liberaliter inuicem propinẽt:, nos fixo pede & obtutu adſtemus ſpectatores.

QVEM ORDINEM TENVErint antiqui inuicem propinando.

CAPVT XXXVIII.

PRopinaſſe inuicem antiquos nobis auctor eſt Plutarchus, hoc ſeruato ordine, vt primos adorirentur illos qui in aliquo eſſent dignitatis gradu conſtituti, & quos etiam honorabant.

ἕδρῃτε κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσιν.

Prima ſede, cibis multis, crateribꝰ amplis.

Eundem fere nos iſta tempeſtate modũ tenemus. Primis illis hauſtibus vt incaluerant veteres, conuiuas plerumque vniuerſos vno eodemque poculo ſalutabant: ſic in Iliade Iuppiter.

θεοῖς ἄλλοισι θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν
Ὠνοχόει, γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων

Dijs cunctis dextra incipiens à parte propinat,
Exhaurit dulci craterẽ Nectare plenum.

Alias hauſtum ad ſingulos dirigebant

quantocunque tādem numero accumberent. Sic Alexander in re potoria, vt in bellica magnus, à Medio præfecto militum inuitatus viginti accumbentibus seorſum propinauit, viciſſimque ſingulis ſibi propinantibus poculis æqualibus reſpondit. Duplicem porrò apud veteres iuuenio propinandi modum. Prior eſt cùm vnam eandemque pateram ſuo quiſque ordine à vicino accipiebat bibendi non ebibendi gratia. Quo in genere duplex iterum modus, Vnus (quem προπίνειν Græci propriè. Latini propinare dicebant, aut præbibere) cum primoribus ſolùm labris vino deguſtato qui præbiberat poculum tradebat ſequenti: recepto etiā in Germania noſtris temporibus more, minùs tamen frequenti. Honeſtarum matronarum ſapit modeſtiam, que in Regina Dido eluxit hac in parte, ſi Poëtæ credimus decorum ſeruanti.

Primaque libato ſummo tenus attigit ore,
Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hauſit.
Spumantem pateram.

Alterum Dætron appellabant, cum eo-

dem quo in priori ſeruato ordine ſuo quiſq; arbitrio ex oblato poculo hauriebat, demumque hauſtuum cõtinuatione exſiccatum, iterum implebatur dum ad ſingulos perueniſſet. Olyntho potitus Rex Macedonum Philippus, plures ex ſuis familiaribus regio conuiuio excepit, propinauit omnib⁹: mox eum ipſum calicem ſingulis obtulit, ex quo propinarat. Secundum propinandi modum, minùs antiquum quidem, ſed magis vſitatum docet nos Athæneus: antiqui euacuabãt pocula ſibi præbibentes (inquit) rurſum repleta præbebant bibenda iis quibus propinauerant. Sic pateram Bicongij capacem Proteę, cui propinauerat, obtulit ebibendum Alexander: hilari vultu à regia exceptam manu, nuncificam regis liberalitatem magnificè commendans, & inuictum robur, tanta alacritate exhauſit Proteas, vt eius laudi & gratulationi ſinguli vna voce acclamarẽt. Mox communi acclamatione vehemẽtius accenſus, pari contentione parem hauſtum repetit ac ingeminat neque gloria diſpari. Lubet hic animi gratia dum

in epulis verſamur & in poculis, ſympoſiacam de poculis quæſtionem inſtituere,

VTRVM CERTA ALIQVA anni tempeſtate liberaliùs Temeto indulſerint veteres?

CAPVT XXXIX.

QVemadmodum ebrietas nulla vnquam potionis quantitate fuit definita, nullis horarum, dierum, noctium terminis circumſcripta, ita neque certis anni tempeſtatum interuallis limitata; nullas ſuo addictis imperio dedit inducias, quo ſe tantillum ab impia illa Tyrrannide ſubtraherēt. Non tamen æquali perpetuò violentia dominatur, diſpar illecebrarum vis quibus incautos ad ſe pellicit, prout ex varia corporis diſpoſitione plus minuſue ſunt ad obſiſtendum parati. Age verò demonſtratum in præcedentibus à ſiti plerumque naſci ebrietatem, ſitim à calore & ſiccitate: quorum vtrumque quò vehe-

mentius intenditur, eò quoque vehementius intendit ſitim, ab intenſiore ſiti ſtimul⁹ acutior ad inordinatum potũ, cuius aculeis, ſi renitimur, impellimur: Volentes blande' & cum voluptate incitamur. Ea igitur anni tempeſtate maior eſt ad temulentiam propenſio, qua auctior eſt cum ſiccitate calor vnde probabiliter deduci poteſt æſtate fuiſſe veteres in crapulam proniores. Quam ob cauſſam naſcente Sirio prouocatũ olim ad pocula Calliam à Protagora legimus, quo maleficum caniculæ influxum benefico liquore compeſceret, & pulmonum ſiccitatem ardoremque ab externo aëre cõtractum larga perfuſione temperaret. Idem præceptum ſuo exemplo confirmat Anacreon, Bacchũ poſcit ad temperandos ardores.

Δότε μοι δότ᾽ ὦ γυναῖκες
Βρομίου πιεῖν ἀμυστὶ.
Ὑπὸ καύματος γὰρ ἤδη
Προποθεὶς ἀναστενάζω.
Date fœminæ, date amplum
Potum mihi Lyæi
Ego namque nunc anhelo
Exhauſtus à calore.

Nil opus eſt hoc loci agitatam paulò ante quæſtionem iterum ſub incudem renouare, nullus enim dubio ſuperſtes locus ex allegatis rationibus, & quotidiano experimento, quin æſtate quàm hyeme potus ſit copioſior. Sed ecce dum in hac diſquiſitione occupamur, amplis crebriſque hauſtibus vehementem admodum viſcerum æſtum, & inexhauſtam ſitim præ ſe ferunt noſtri popinones, cerebrum obſident fumi, pro foribus eſt ebrietas, maturo proinde conſilio ſed immaturè fortaſſe remedium quærunt in corollis quibus tempora præmuniunt. Illarum vſum contextumque expendamus.

DE CORONIS QVIBVS IN conuiuijs vtebantur antiqui.

CAPVT XXXX.

LOngum eſſet in præsētia planè diſcrepantes inter ſe cōuiuarum mores verbis exprimere, tacitus apud ſe quiſque perpēdat vt hic mero efferueſ-

cens incensa bile contentiones mouet, ad conuicia cnncitatur, ad vindictã, ad iurgia. Ille melancholia agitata funesta quæque sibi ob oculos obiicit, suam deflet sortem, nullius quantũuis blando facetoque sermone recreatur. Tertius hebes corpore & animo ac stupidus, alto sopore demersus, somno vinoque sepultus (vt Poëta loquitur) procumbit humi bos: alij demum incalescente benigniore sanguine, turgẽtibus spiritibus, solutis animis magnifica de se pollicentur, verba dant curialia, profitentur amicitias, longa & diserta oratione testantur affectum, poculis confirmant: in quem vsum vastum illum craterem (quem amiciciæ pateram vocant) media mensa collocatum cernimus, cuius liquore tanquam firmissimo sigillo mutuam beneuolentiam obsignantes, Hepar amoris fontem liberalissimè perfundunt. Serpit interim quaquauersum aura malefica, superna oppetit, caput ferit, opplet, premit. Ict⁹ Piscator sapit (vt est in prouerbio) accepto malo stulti sibi prouident, sertis corollisq; accingunt tempora, vnguentis

guentis illinunt ad comprimendam aut reprimendam ſtragem.

Primam illorum inuentionem Ionibus deferunt. Cleopatra Ægiptiorum Regina dum Anthonium lautè exceptum medio cōuiuio inuitat ad pocula, illi pariter varijs ex floribus ſertum cõcinnat, & manu propria capiti imponit. Coronarum porrò vt varius vſus, ſic & varius contextus; Variegatæ contexebantur ex pulcherrimis floribus ad oculorum oblectationem tetro craſſoque Temeti vapore ſuffuſorum. Floribus quandoque permiſcebantur folia, vt ad delectationem vtilitas accederet, folijs quippe vis quam floribus efficacior ad temulentiæ incommoda non pauca; Quibuſdam adſtringendi reprimendique facultas inerat; alijs roborandi cerebrum & halitus ſuauitate reficiendi; nonnullis aperiendi, attenuandi, reſoluendi, alijs denique caloris exceſſum temperandi, atque importunam arteriarũ pulſationem compeſcendi. Harum omnium facultatum principia in temperie primarum qualitatum. Calida diductis atque reſeratis

poris, liberũ attenuatis vaporibus pręebant effluxum. Quæ mediocriter frigida eorundem vaporum in caput appulſum blando contactu, atque inſpiratu repellebant, feruorem moderabãtur, dolores inde excitatos leniebant, & arteriarum motiones. In hunc finem roſarũ olim familiaris vſus. Quas ideo Bacchi floſculos vocat Anacreon, ſerta ſibi expetita ad refrigerãdam frontem.

Δόπε δ᾽ ἀνθέων λυαίου
Στεφάνους δ᾽ οἵους πυκάζω,
Τὰ μέτωπά μου πικάνει.
Date floſculos Lyæi,
Date ſerta queis calentem
Amo temperare frontem.

In eundem vſum violæ quærebantur non tamen albæ. Si quæ grauioris erant odoris non admittebantur. Quo nomine An Aſarum reiectum à coronis haud ſcio, Iridem certè, & Saliuncã reſpuerunt veteres, quãquam odore pollent non inſuaui. Maioranam quoque (nec immeritò) ne odoris vehementia, capite iam oppleto ebrietatem accelereret. Cæteris vernis floribus locum fuiſſe credo, modò neque aſpectu, neq;

inſpiratu forent ingrati, de quibus ideo fortaſſe promiſcuè loquitur Poëta Lyricus.

Nunc decet aut nitidum caput impedire myrto
Aut flore terræ quem ferũt ſolutæ.

Florum cyperi, croci, campanulæ, ſpeciatim meminit Plutarchus, qui, præterquamquod ebrietati obſiſtunt, ſomnum etiam conciliant. His addit Plinius veniſtæ flores, amaranthi, rhododaphnes, cyclaminis & alios complures, qui ad delicias potiùs & viſus delectationem, quàm ad vſum aut neceſſitatem videntur comparare. Roſas apprimè commendat Anacreon vti iam innuimus.

Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων
Μίξωμεν Διονύσῳ,
Τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυλλον
Κροτάφοισιν ἁρμόσαντες,
Πίνωμεν ἁβρὰ γελῶντες.

Roſas ſacras amori
Tibi Bacche miſceamus,
Roſas folijs decoras
Fronti reuincientes
Bibamus & iocemur.

Ῥόσσοφῶ τὸ δ' αὐτὸ τερπνὸν
Θαλίαις τε καὶ τραπέζαις
Διονυσίαις θ' ἑορταῖς,
Rosa est decens coronis
Rosa expetita mensis,
Solennibusque Bacchi.

Hæc de floribus ; ad folia quod attinet, varij quoque generis fuere, quæ aut annecti floribus, aut separatim in serta aut corollas aptari consueuerant. Populeis quandoque vtebantur. Sic fugitiuus Teucer.

Tempora populea fertur vinxisse corona.

Hyacinthinis delectari se profitetur Anacreon

Στεφανίσκους δ' ὑακίνθων
Κροτάφοισιν ἀμφιπλέξας,
Μετὰ παρθένων ἀθύρειν
Φιλέω μάλιστα πάντων
Hyacinthinis coronis
Cingens vtrinque frontem
Cum virginibus iocari
Præ cæteris iuuat me.

Parabantur quoque ex Apio & Myrto.

Quis Udo
Deproperare Apio coronas
Curatue Myrto?

Quæ ex Meliloto, magni eſſe credebantur ad crapulam inhibendam, ideoque Melilotum ſemper cuſtodem appellabantur. Sertulam etiam dixere, quoniam ad ſerta conſtruenda fuit percelebris, qua de cauſa fortè coronæ regiæ appellationem meruit. De hedera quis neſcit? fuit hæc Apollini & Libero patri communis.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dijs miſcent ſuperis.

(Ait Horatius)

Sed varij flores, & frons redimita corymbis

(Inquit Tibullus)

Feſta Corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.

(Ouidius) lauro ſua laus hac in parte non defuit, non vincæ peruincæ, non vitium pampinis, at ſingulis quam hederæ inferior; nam arteriarum temporalium adſtrictione compreſſioneque ortos à temulentia dolores lenit hedera, viſum reficit colore perpetuò vireſcente, æſtum attemperat nulla odoris moleſtia, Quamobrem hederam veteres Baccho ſacram eſſe voluerunt,

illi à Bacchi nomine Dionysiæ nomen indiderunt, vicissimque ab hedera (quã κίσσον vocant) Κίττονα Bacchum nominarunt Athenienses. Neque in coronis modò Hederæ locus, sed etiam in Thyrsis (sic appellabant hastas quasdam aculeatas quas in Orgijs Bacchicis quatiebant) de quibus Anacreon.

Ὑπὸ βαρβίτῳ δὲ κούρα
Κατὰ κισσοῖσι βρέμοντας
Πλοκάμοις φέρουσα θύρσους
Χλιδανόσφορος χορεύει.

A Barbito puella
Strepentibus Corymbis
Thyrsos ferens sonantes,
Choreas pede prompta pulsat

Id genus Thyrsis armatas mulieres in exercitu habuisse Dionysium auctor est Diodorus. Scribit Macrobius Dionysium ipsum Thyrsum tenere, quod est latens telum, cuius mucro hedera lambente protegitur. Sed ista nostro proposito latiùs. Magnificas Tiliæ coronas hic describere inutilis labor, vti alias sexcentas, de quibus ab antiquis & recentioribus scriptum copiosè atque ex professo. Illud addendũ, quod

paulò antè insinuauimus, simplicia quandoque fuisse serta conuiualia, q andoque & multiplicibus contexta foliis aut floribus, qualia Naucratica, quæ ex rosis & myrto: item quæ ex Liliis & rosis, de quibus Anacreon.

Ὅρα ϰαὶ στεφάνοισιν
Ὅπως πρέπει τὰ λευϰὰ
Ῥόδοις ϰρίνα πλαϰέντα.
Videas & in coronis
Rosis vt lilia alba
Decenter implicentur.

Ad coronas accedebant vnguenta, de quibus nunc paucis vt solemus.

DE VNGVENTIS VSITATIS in conuiuiis antiquorum.

CAPVT XLI.

VNguenta odorata veteribus familiaria leguntur plurima,

Oenantinum vt ventriculo amicum, sic temulentiæ putabatur contrarium, componebantur in eundem vsum ex maiorana & sorpillo, à quibus inditum compositionibus nomen, Præter illa

Crocinum (modò ne myrrham magna copia reciperet) item ſtacte, aut oleum ex myrrha expreſſum, quod nonnulli ſtyracem liquidam modernam eſſe autumāt, denique alia complura, ex quorum numero Nardinum Græcis præ cæteris expetitum & Romanis

Nardo vina merebere,

Nardi paruus onix eliciet cadum.

Horum porrò triplex vſus: Primus ad voluptatem quæ ex ſuaui exſpiratu, in hunc finem laudatum olim apud Perſas vnguentum Iaſminum; ne quid verò luxui deſit & voluptati ſimul vnguēto barbam perfundit Anacreon, redimitque caput roſis.

Εμοὶ μέλει μύροισι
Καταβρέχειν ὑπήνην.
Εμοὶ μέλει ῥόδοισι
Καταστέφειν κάρηνα.
Odoratis ſit opto
Mihi perfuſa barba
Roſeiſque curo frontem
Mihi vincire ſertis.

Cæteri vſus ambo ad ebrietatem referuntur, ſiue impediēdā ſiue remouēdā, vti de coronis annotauim*. Vnguento

rosato vtebãtur Carmani Asiæ minoris incolæ, vel eius penuria oleo Citoniorũ, aut Rhodino, ad cõstringẽdas venas & arterias, ne vini halitibus pateret in cerebrũ aditus, quò eorundẽ extingueretur feruor, cohiberetur motus, frangeretur actio. Prima summaque vnguentorum intentio cerebri humectationem spectabat; arbitrabantur quippe, vt à tantillo imbre furentẽ austrum, sic ab odorato eiusmodi liquore Temeti furias cohiberi: qua de causa non capillos solùm & frontem, sed vultum integrum, barbam, collum perfundebant. Suam sententiam firmabant exemplo senum quos certum est Temeto promptiùs capi solitos, ob corporis siccitatem. Nam à sicciore cerebro vini vapores auidè rapiuntur, & quodãmodò absorbentur, inanita præ siccitate spatia illi obsident, occupant, infarciunt. Nullus vaporum insultus si præoccupentur vnguentis, aut si quis fortè leuiculus est, quàm mox retunditur ac hebescit.

Habemus modò galea instructos milites; Achillem ferunt nulla corporis

parte solo excepto calcaneo lædi potuisse, solos eius talos lethalibus vulneribus patuisse. Patet vniuersum ebriosorum corpus plagis Bacchicis, caput maximè, & à capite maximè in reliquum corpus redũdat labes; probè itaque munito capite nullus iam superstes videtur metus, si qui tamen leuiori diffidunt armaturæ, excitandi animi præmiis accendantur ad prælia.

DE PRÆMIIS POPINOnibus propositis.

CAPVT XLII.

DVos natura nobis inditos ad temulentiam aculeos in præcedentibus audiuimus, necessitatẽ & voluptatem: prior à siti, posterior à vini suauitate proficiscitur: vtrique plurimum humana contulit industria. Summa præ cæteris illecebra in honoribus fuit & præmijs, Parthi, Scythæ, Illirici & qui à nobis anteà commemorati, totaque in vniuersum Græcia summos olim insignibus potoribus honores detule-

runt, perhonorificum arbitrati ampla exhaurire pocula, in concertationibus Bacchicis parem habere neminem. Romanos eodem errore notat Seneca. Prę-ter honores constituta etiam præmia, ne quis esset in luxu modus neque verò potoribus tantùm, sed etiam Helluonibus suo tempore concessa testatur Plinius, ac inuentos fuisse nonnullos qui emptitios homines suis sumptibus & cibis ad ingluuiem inducerent, seipsos inuito ac renuente palato ad crapulam cogerent quò præmijs potirentur in vtroque genere intemperantiæ concedi solitis. Paria de veteribus produnt fidelissimi scriptores.

Syriæ Rex Antiochus in solemni quondam conuiuio coronas aureas, argenteam suppellectilem, mancipia, equos, chamelos insignioribus potoribus pro mercede proposuit, ea conditione, vt qui victoriam reportasset, non antè præda potiretur, quàm insignem haustum pro coronide absorpsisset. Caranus ille Macedo, de quo nobis facta in præcedentibus commemoratio, vt conuiuas suos ardentiùs ad potum in-

citaret, pateram ſingulis tradidit quæ propria foret ebibentis. Mox in ſpem erecti omnes, eniti, contendere, & quã-tùm ſtomachus caperet experiri. Quidam inter cœteros delicatulus, proprijs diffiſus viribus, ingemiſcere, deteſtari; Generoſum & obſequentem in debili & repugnante natura animum laudat Caranus, pari præmio ditat parem cæterorum contentioni voluntatem, Redundat par in ſingulos Carani liberalitas, quanquam diſpar huius actio. Sed Ponti Rex Mithridates, qui bello aggreſſus eſt Romanos, ſuam ad vnicũ reſtrixit, qui plus cibi & potionis ingeſiſſet, talentum argenteum illi pro honorario poſuit, vtroque certamine victor ipſe permanſit, alteri à ſe victoriæ honorarium contulit, ſibi honorem reſeruauit. Feruens equidem hoc in genere contentio, nec ſine graui plerumque capitis periculo, præmij incerta ſpes omnibus ſingulos ad victoriam ardentiſſimè accendit. Dignum memoria eſt, & è re noſtra iſtud Alexandri. Is ex India Orientali triumphator reuerſus, Calani Gymnoſophiſtæ (quem ea

in expeditione ſibi adſciuerat, ita erat Philoſophiæ ſtudioſus) Philoſophi inquam celebraturus exequias, ne quid munificentiæ deeſſet, Bacchicum certamen inſtituit, tria in hoc certamine præmia. Primum vnius Talenti (ſexcẽtos æquat aureos Gallicos vnũ Talentum ſupputatione Budæi) alterum Trecentorum aureorum: tertium centum aureorum. Frequens ad certamen vndique concurſus, ardent ſinguli cupiditate incredibili brauium reportandi, inexhauſta omnibus auri magis, quàm potionis ſitis.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Triginta quinque confecti miſerè in ipſo congreſſu, fœdè mox ſuffocati, crapula fœtentẽ ac putreſcentem animam exhalarunt: ſex ab his non paulò poſt reperti mortui. Promachus primas cõſecatus ſuæ victoriæ triduo dumtaxat ſuperuixit, in qua conſequenda congios quatuor exhauſerat.

VT ANTIQVI CORONATI, *vncti, præmiis illecti pocula geminabant, eaque ampliora.*

CAPVT XLIII.

IS Alexandrini conuiuii exitus fuit, nostri quem tandem expectamus? Audin' vt vndique Horatij Monostichon auribus circumsonat?

Capaciores affer huc puer scyphos.

Viden' vt pueri

Crateras magnos statuunt & vina coronant?

Scythæ Philosopho mirum illud quondam videbatur, quodGræci prima mensa, quo tempore sitis esse solet vehemẽtior, scyphis vterẽtur minutioribus, vltima tandem pleno iam ventre, regurgitante mero, siti demersa potiùs, quàm extincta, ad ampliora pocula tanta auiditate conuolarent. Eundem morem etiamnum retinent Germani, nec opinor absque ratione: ventriculi membranæ sensim prioribus haustulis nulla violentia distentæ excipiendis

maioribus aptiores fiunt, quorum impetum primo ſtatim occurſu validè diſtractæ diuulſæque integrè vix ſuſtinerent. Etſi verò luxus omnis hoſtem vbique Homerum fuiſſe aſſerunt eius interpretes, hunc tamen ipſum morem in conuiuium inuehit: expleto cibi potuſq; appetitu pueros inducit, crateras vino coronatos diſtribuentes cõuiuis. Coronatos vino, hoc eſt ita oppletos vt vinum emineret (Athenæo interprete) vino inquam, nam & floribus apud Romanos olim coronabantur pocula, tumque vino implebantur; id quod familiare Troianis fuiſſe docet nos iſtud Virgilij, à quibus fortè tranſijt ad Romanos eadem conſuetudo.

Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, impleuitque mero.

His armi accincti, loricati noſtri milites, ſtrenuè veniunt ad manus, legitimas ſibi prætexunt congreſſus anſas, quas recuſaſſe nefas. Nos proſperam Regum, Principum, amicorum valetudinem ſalutamus poculis, abnuiſſe piaculum, nullus excuſationi locus, ne cal-

listheni quidem. Musas, Charites antiqui salutabant, neque suarum amasiarum obliuiscebantur imó quot literis constabant illarum nomina, totidem scyphos, ebibebant; loquor Authore Martiali, cuius in hanc rem hoc quod sequitur Epigramma.

Mania sex cyathis, septem Iustina bibatur
Quinq; Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus
Omnis ab infuso numeretur amica falerno
Et quia nulla venit, tu mihi sõne veni.

Erat alterum antiquorum inuentum singulos ad paria pocula prouocando in girum propinare: si qui recens id putant, falluntur toto cælo, melius nonnulli inuentionem eiusmodi ad Lydios vetustissimos referunt, quibus mos erat à dextra (vti nos plurimùm solemus) cõpotationis circulum inchoare. Modum ab Athenæo disertè habemus expressum, adstabat, inquit, puer qui suo cuique ordine pateram in girum exhibebat. Idem à Poëta Gallo descriptum legitur in conuiuio Holofernis. Sed hic nullis opus stimulis, socium fixo singuli aggrediuntur pede, nec inopinatum: nec imparatum: Imò verò qui se magis

ſtrenuos dici ambiunt, ſoli adoriuntur plures. Nec iſtud ſatis, nouas inuẽtiones quærunt, (vt nullus temulentiæ eſt modus) Turdus ſibi malum creat, & ſe ſuis inuẽtis conficiunt noſtri popinones, at quæ illa tandem?

NOVÆ ANTIQVORVM INuentiones ad crapulam.

CAPVT XLIIII.

PVdet & piget vetera intemperantiæ exempla perpetua obliuione digna refricare verbis, iſto præſertim ſeculo, quo ſpõte in id vitium pronam atque obnoxiam maximam Europæ partem videmus, verùm id ea mente facimus, quò præuiſa tela minùs feriant, & alieno periculo fiamus cautiores. Priſci illi ſibi iudices conſtituebant ad quos difficultates omnes referebantur, ſi quæ circa pocula occurrerent. Iudex is creabatur, cui iacta alea ſors fauebat. Variæ conſtitutæ leges (lenta ſanè vincula potoria quàm magis extendas, tanto adſtringant arctiùs) Hæ inter cæteras (audiant polytici nouum

iuſtitiæ diſtributiuæ genus) æqualis; ſeruetur ab omnibus compotandi modus : ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι aut bibe aut abi. Quiſquis in Ænigmatum ſolutione hærebit, tale tantumque poculum exhauriat. Vltimam hanc Athenis olim ita ſeuerè obſeruatam legimus, vt cederet in valetudinis diſcrimen. Pateram vini puri plenã iunioribus pro mulcta deſtinabãt ſenioribus, diluti. Vtramq; prętet modũ præterq; multorum captum, ſed aliquibus tolerabile fortaſſe; nemini non odioſum, cum vel potionis exceſſui addebatur bibendi labor (nam vnico quandoque hauſtu patera erat exſiccanda reuinctis à tergo manibus) vel ſaporis inſuauitas permiſtione Muriæ. Hinc credibile eſt profluxiſſe erroneam illam quorũdam opinionem exiſtimantium ſalem vino ſolutum ebrietatem promouere, ſeuum, candelas, fuliginem & his fœdiora (quæ ſola cogitatione perhorreſco) mero nonnunquam permiſcent noſtri ebriaci, ex farciminum cruſtis, ex calceis, & (ne quid turpitudini deſit) ex matulis propinant, antiquis turpiores, apud quos, oua, ſa-

rinam, mel, caſeum, olea Temeto miſceri ſolita: abſona quidem illa. & ſubuertendo ſtomacho idonea, quæ tamen vti priora non refugit palatũ, non horret animus. Alexidemus Mileſias Thraſybulo Tyranno, cuius erat ſpurius oblatum odoratum oleum in amplam vini pateram effudit, moxque vnico abſorptu deglutiit. Sunt qui hoc tempore ſaniore conſilio, & meliore ſucceſſu, vino Hippocratico vtuntur poſtquam guſtu præ largiore potu deprauato vini ſaporem auerſantur. Priſci in eundum vſum vina quandoque condiebant Xyloaloë, Cinnamomo, calamo Aromatico, Aſpalatho, Coſto, Spica Celtica, Amomo, Dactylis, Aſaro. Plura ex dictis colligat ingenioſus lector. Plura etiam ex probatis auctoribus hinc inde excerpant curioſi: nos ab inuentis redeamus ad inuentores iam planè madidos, vini effectus in ipſis exploremus.

CONVIVII SEQVELA, CANtus, & saltatio.

CAPVT XLV.

EBrietatem amori æquiparat Plutarchus, quoniam alterutro incalescentes alacriores euadimus, in cantus & choreas procliues.
Ita de se testatur Anacreon,

Οταν ὁ Βάκχος εἰσέλθῃ
Εὕδουσιν αἱ μέριμναι,
Δοκῶν δ᾽ ἔχειν τὰ Κροίσου,
Θέλω καλῶς ἀείδειν.
Vt me subit Lyæus
Ærumna dormit omnis,
Et cantus ore promo
Vt Crœsi habens talenta.

Quam ob causam Euripides, vt est à Rodigino obseruatum, lyram à poculis eliminandam censuit: ad iram enim (inquit) potiùs, luctumque adhibenda musica est, non insuper cantu addecet soluere, qui iam voluptatibus diffluunt. Aristoteli tamen in Polyticis aliter visum, quin etiam sanctum

legibus inuenim⁹ ne quisquam ad conuiuia Musices ignarus accederet, nisi musicos secum haberet, qui vocis modulatione Bacchicarum tempestatum æstus compesceret. Non enim ad voluptatẽ solã musica in epulis recepta, sed etiam ad mulcendos placandosque animos Bacchi furore concitatos. Homerus quoque musicam in conuiuia sæpissimè inducit, frequentissima enim apud antiquos fuit, quibus familiari consuetudine receptum communi primùm concentu cantilenas in Bacchi aut Apollinis honorem promere: vnde Græcorum pueri in Iliade introducuntur statim à pastu Deum cantionibus placantes.

μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν.

Placabant numina cantu
Græcorum pueri lætum Pœana canentes.

Postmodum particulatim suo quisque genio canebat, suoque ordine, ad eum spectabat cantio, qui myrti ramum admiserat, quem ἄσακον appellabant, offerebatur autem alternatim singulis, nõ idem tamen perpetuò concentus, solis

quandoque muſicis inſtrumentis conſtabat, aliàs voce ſola. Nonnunquam vtroque aut ſeorſim & alternis, aut ſimul ambobus in vnam harmoniā conſpirantibus. Secūdi generis exemplum produximus ex Iliade. Primi habetur feſtiua illa Anacreontis ode.

Δότε μοι λύρην Ὁμήρου,
Φονίης ἄνευθε χορδῆς,
Μεθύων ὅπως χορεύσω,
Ὑπὸ σώφρονος δὲ λύσσης
Μετὰ βαρβίτων ἀείδων
Τὸ παροίνιον βοήσω.

Mihi lyram da Homeri
Abſque chorda cruenta,
Ducam ebrius choreas
Cytharaque concinente
Rabie furens modeſta
Temulenta verba fundam.

Socrates cùm lyram in conuiuio recuſaſſet, habitus eſt indoctior. Tertij generis eſt illud primo Iliados in conuiuio deorum.

Ὡς τότε μὲν πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα
Δαίνυντ᾽ οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης
Οὐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ᾽ Ἀπόλλων

Μουσαὶ ὠνθ' ἅι ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ

Ergo tota dies trahitur per fercula, Phœb⁹
Occidit, & mensæ iam nulla cupido superstes.
Tum Cytharam bellè resonantem tangit Apollo
Dulcisonæ reddũt alternis carmina musæ.

Postremi generis legitur in præfato Anacreonte nostro.

> Ἁβροχαίτας δ' ἅμα κοῦρος
> Στομάτων ἀδὺ πνεόντων,
> Κατὰ πηκτίδων ἀθύρων,
> Προχέει λίγειαν ὀμφάν.
> *Puer coma venustus*
> *Suauiter ore spirans*
> *Fidibus Cytharæ sonantis*
> *Sociat vocem canoram.*

Neq; verò concentu solùm sed & subiecto quoque distinguebantur cantiones, quarum genera quinque veteres scriptores annotarunt. Primum dicebatur παιανικὸν, de quo facta nobis cõmemoratio, Apollini dicatum. Alterum ἐγκωμιαστικὸν, Heroum laudibus consecratum. Tertium σωφρονιστικὸν, aptum accendendis hominum mentibus ad gloriæ studium ac honestatis.

Quartum θρηνητικὸν, siue lugubre. Vltimum σχηματικὸν tripudiis & saltationibus accommodatum. Talis Demodoci cantio apud Homerũ ad quam saltabant iuuenes pubescentes. Talis Anacreonti optatissima, qui

> Μεθύων θέλει χορεύειν
> *Amat ebrius choreas.*
> Πολυκώμους κατὰ δαῖτας
> Νεοθηλαῖς ἅμα κούραις
> Ὑπὸ βαρβίτῳ χορεύων.
> *Genialibusque mensis*
> *Vernante cum puella*
> *Cythara canente saltat.*

Talis hoc tempore nostris conuiuiis oportuna: ecce vt eleganter tripudiãt. Verè dictum à quodam Philosopho, sobrium saltare neminem. Vt enim à vino in Atheniensi solo profluxit Satyrarum, Tragœdiarum, Comœdiarumque inuentio, sic ab eodem credo fonte choreæ deriuarunt. Bacchum sibi choreæ magistrum profitetur Anacreon his versibus.

> Τοῦ Διὸς ὁ παῖς ὁ Βάκχος
> Ο λισόφρων, ὁ λυαῖος
> Ο τὰν ἐς φρένας τὰς ἐμὰς

Εἰσελθὼν

Εἰσέλθῃ μεθυδότας,
Διδάσκει με χορεύειν.
Bacchus puer tonantis
Liber pater Lyæus
Meam vt mentem ſubiuit,
Multo rigans liquore
Saltare perdocet me.

Bacchum ideo chorium appellarunt. Quò alludens Anacharſis natione Scytha rogatus, nunquid Chorodidacti, & chorocythariſtæ inuenirẽtur apud Scythas, ne vites quidem reſpondit. Saltationis porrò quoddam genus Baccho exhiberi conſueuerat quod Thiaſum vocabant, cuius inuentionem Daphni tribuit Virgilius.

Inſtituit Daphnis Thiaſos inducere Baccho.

Quibus delectari ſe poſt pocula profitetur Anacreon.

Οτ᾽ ἐγὼ πίω τὸν οἶνον,
Ὑπὸ κυρτοῖς δὲ κυπέλλοις
Τὸν ἐμὸν νόον ἁπλώσας,
Θιάσῳ τέρπομαι κοῦρον.
Si quando poto vinum
Cyathi in modum repandi,
Mea mente explicata

Thiaso frequente lætor

An illa sit quam ebriorum saltationem nuncupant, & quæ compositis Iouium morem ducebatur passibus, affirmare haud velim.

Hactenùs nil incommodi, nil periculi ex largis & frequentibus nostrorũ popinonum compotationibus, solutæ curæ, liber atque expeditus animus, cantu plausuque domus vndique circumsonat, parietes ipsi gestiunt. Rarũ penè dixerim inauditum nullas contẽtiones exortas, in tanto ebriatorum cœtu, tam inter se natura, moribus, viuendi consuetudine discrepantium, quas ne inter familiares quidem deuitari facilè in dies cernimus. Mouet liquor amicissimus, & concitat frequentes discordiarum procellas quibus cõcussæ olim cùm barbaræ tum ciuiles nationes, Italos quidem à contentiosa illa barbarie sibi minimè temperasse innuit istud Horatij.

Tollite barbarum
Morem, verecundumq; Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

In eandem quoque procliues fuisse

Græcos ex Anacreontis hiſce verſibus collige.

> ςυγέω μάχας παροίνες
> πολυκώμας, κὶ δαΐζας
> *Pugnas horreſco menſis*
> *Genialibus citatas.*

Imò verò vix ab ea vindicare ſe potuerunt qui prudentiores habebãtur. Plutarchus, Crato, Theuiſon, omnes dignitate & Philoſophia præſtantes in Bacchicos tumultus inciderunt. Vinũ feruore quo pollet accendit animos, faſtus auget, bilem commouet, linguã acuit, cuius fellea ſpicula prouidè continet Anacreon experientia doctus quàm promptè vel ex leuioribus verbis tragædiæ inter pocula excitentur.

> Φιλολοιδόροιο γλώτης
> Φεύγω βέλεμνα κοῦφα. (inquit)
> *Fugio linguæ procacis*
> *Cita, & expedita tela.*

Anacreontis exemplum in verbis iociſque, in cantionibus & choreis, in compotationibus hactenus perbellè imitati ſunt noſtri conuiuæ, vnicum ſupereſt vt bono genio pro coronide propinent, quo duce ſic prudenter,

ſic ſuauiter ceſſerunt Epulæ, vel Ioui ſeruatori, cuius auſpicijs tot Scyllas tot Carybdes effugerunt, mox fercula ſubtrahemus.

QVID FIAT SVBTRACTIS *ferculis.*

CAPVT XLVI.

SVbtractis ferculis, finitæ epulæ, non pocula, iteratò propinandũ eſt. Sed quis iam iam compotationi locus? Vini ſaporem auerſantur fauces, faſtidit ſtomachus, premuntur Ilia, caligant oculi, caput obruitur. Bono animo ſodales, nouæ parantur vobis ad potum illecebræ. Habemus in promptu dactylos toſtos frixa cauabis ſemina, cœpe Homero celebratiſſima potionis irritamenta. Non deſunt cardui radices, & caules aqua incocti, quibus,

Deliciæ augentur potantis Iacchi.

Sunt præter hæc ſexcenta alia id genus aduerſiſſima palato, ſed amica Baccho fercula, tragematum nomine comprehenſa. O gulam deprauatam! O bac-

chum inſipidum! Quidni vt cupidinem, ſic & occæcatum illum effinxerũt Poëtæ? vel omni potiùs deſtitutum ſenſu? Appoſita tragemata non videt Bacchus aut perhorreſcit: Nidorem haud percipit, vel neauſeat: ſaporem non ſentit, aut vomitum non continet, pleno ac regurgitante ventriculo: nam vel ſolo audito tragematum nomine ſtomachus ſubuertitur. Magis ſapidè & ſapienter antiqui Macedones languentem potus appetentiam caſeo cocto & pernis excitabant, quorum nos ſectamur morem. Germani hoc tempore menſis remotis diſſectum panem ſaleque conſperſum offerre ſolent ex orbiculo ligneo, colloquijs ſitim proritant, frequentes hauſtus inuicem propinant, quod de veteribus quoq; Macrobius annotauit. Caran⁹ antiquam à cœna propinandi conſuetudinem renouare aggreſſus eſt, poculum, vt exhauſerat, ſuo cuique ordini præbebat ebibendũ, & nos eandem in noſtro conuiuio ſequuti ſumus. At quis tandem exitus?

CATASTROPHE *ebrietatis.*

CAPVT XLVII.

VT varia cuiuſque natura, varij humores, ſic & varij planéque cõtrarij ebriorum mores. Hic in furias verſus & in rabiem ſocios laceſſit, verbis minatur, ferit, furitque.

Ipſos temerè vocat in certamina diuos.
Alter in homines humanior, in cætera inhumanior, quæcunque obuerſantur obtruncat, diſcerpit, dilacerat. Alij ad ineptias feruntur, ad iocos, lepidoſq; ſales, ad laſciuiam. Antiqui Celtæ vino efferati mutuò ſe ad monomachiã prouocabant, vitis liquore infectis animis, vitæ liquorem immaniter effundebant, proprio, inquam, ſanguine menſas manuſque polluebant. Cautiùs aliquantò Romani (quanquam non minus inhumaniter) gladiatores inducebant (horrendum ſanè ſpectaculum) qui mutuò ſibi violentas inferrent manus. Ferini quoque ac barbari quondam Thraces, &

in ſumma barbarie ac feritate ridiculi: ludum quendam inſtituebant cui ſuffocationis nomen, (luſus erat in re ſeria & funeſta) funem trabi alligabant, iacebate' directo ſaxum rotunda forma, aut qua alia ſimili, quò leui impulſu facile` loco cederet. Saxum conſcendebat is cui ſors obtigerat, vna manu funem collo aptabat, altera falcē geſtans. Mox adſtantium aliquis ſaxum pede impellebat, ille tum ſuſpenſus ſuffocabatur miſer ni falce funem ſecuiſſet. Ita miſere` de proprio ludebant corio ſathnæ artibus occœcati, veteres quibus diuinæ fidei iubar nondum affulſerat. Extremo ſupplicio digni omnes, illi maxime` qui maturo ac deliberato conſilio in ſuam ac cæterorum perniciem conſpirabant. Sed neque ferendi quos ſecundo loco enumerauimus, qui licet cum hominibus agant humaniùs, ſæuiunt nihilominùs in obuia quæque atrociùs, ſuo plerumque & aliorum graui incommodo atque diſpendio. Alcibiade ad Siciliæ expeditionem Athænis migraturo Hermetes (ita vocabant ſitas in vrbis compitis Mercurij imagi-

nes) omnes vna nocte ab Ebriatis confractos diruptosque inuenere.

Laceros crudeliter ora
Ora manusque ambas, populataque tempora ruptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Vt loquitur Poëta. Neque verò solum in publicos Hermetes, sed in priuatos quoque hortos olim iuuenes Athenienses vino madidi Bacchicum exercuerũt furorem: Insolentem illũ quidem, non modestum qualem furere se velle dicebat Anacreon. Quanquam vereor vt modestè hac in parte se gesserit cùm scripserit impudicè. Nobis placent sine felle ioci, placent facetiæ, placent cantus & choreæ quamdiu seruantur modus, & decorum. Sed quis in ebriatis modus, quod decorum? Ipsum inebriari præter decorum est, præterque modum. Et nos fortassè modum in conuiuio nostro excessimus, iamdiu enim nostris auribus intonat Buccina quæ Macedonas olim in solemnibus conuiuijs monebat receptui cauendum: Priusquam tamen huic pedem efferi-

mus, quondam longa hactenus nobis cum ebriacis fuit consuetudo; Perpendamus in eorum gratiam cui tandē bono ebrietas esse possit.

VTRVM INEBRIARI QVANdoque conferat?

CAPVT XLVIII.

QVi temperare sibi à crapula non possunt, ex praua consuetudine aut natura, quò se à merita ignominia vindicent, culpam suam rationibus tegunt, ebrietatem ad sanitatis tutelam conferre probant, teste confirmant. Citant in primis Auicennam & Rhasim ambos ex Arabica familia medicos experientissimos, qui semel atque iterū in mense inebriari bonū autumant. Eandē sententiam tenuerant Dioscorides & Mnesitheus, quibus Paulus subscripsit. Quin & Hipprocrates ipse ebrietatem non admittit solùm in salubri diæta, sed vtì salutarem præscribit. Medicorum opinionem suo calculo firmarunt Philosophorum grauissimi inter

cæteros Seneca (cuius hac in parte pluris esse debet quàm cœterorum auctoritas) Plato quoque referēte Candiota Philosopho eius discipulo, qui sui præceptoris institutum scripto & exemplis stabiliuit. Sed quoniam suspecta nōnullis videntur suffragia, suo enim quisque blanditur genio, eaque laudat in quæ est natura procliuis, missos auctores faciamus, rationes attendamus potiùs quibus persuaderi se sinunt huius opinionis assertores.

Quàm absonum (inquiunt) nullum poculis patere aditum ad cōuiuia; cum Baccho relaxetur animus, reficiantur spiritus, tum animales cùm vitales, exhilaretur & quodammodo renouetur vniuersum corpus, recreata virtute naturali, procul facessant tædia: luctus, querelæ, molestiæ obliuione deleantur sempiterna. Si vigilamus poti, cantu, choreis, liberiore vita per omnia membra distribuitur vini spiritibꝰ turgescēs calor. Sin irrepat somnꝰ, intrò reuocatꝰ placide naturæ munia perficit, facultatibus omnibus nouum indit robur, sopitos sensus excitat, artus languentes

erigit, & ad ſolitos motus reddit quàm ante paratiores. An purgatione familiari exonerandus ſtomachus? quid Temeto cōuenientius dici aut excogitari poteſt? Quid homini magis naturale quàm potus? Quid ad potum vino iucundius? Quid ad vomitum vini potione facilius? Quid ad humores quantumuis rebelles exturbandos vomitu accommodatius? Quid ad inueteratos ventriculi vicinarumque partium affectus profligandos hoc ipſo potētius? Corpora priuſquam ad Helleborum ducantur humectante victu parari iubet Hippocrates: quantò fœliciùs Hellebori vires ſupplebit vinum cùm & præparantis vices expleat? Vomitum à paſtu ſemel atque iterum in menſe commendāt vetuſtiores practici, quorum recepta in Galeno doctrina & Hippocrates ipſe (cuius pluſquam Delphica ſunt oracula) per ſuperiora purgandum docet cum nulla infeſtante febre os amaricat, cordis morſus aut vertigo, ac inappetentia fatigant. At quo tandem præſidio commodiùs quàm vino tantorum virorum conſilio omnem

illuuiem exturbabis? Vinô inquam ea quantitate poto quæ proritandæ ventriculi expultrici ſatis eſſe poſſit. Hæc Polybij mens, (ni genuinum eius libri auctorem agnoſcimus Hippocratem qui de ſalubri diæta inſcribitur) in quem vſum gracilibus & imbecillis corporibus, dulcis, acidi, auſterique vini miſcellam ſtatim à cibo exhibet. At quorſum ventriculi ſolius & viciniæ facta à nobis hactenus commemoratio? Quaſi ad ventriculum dumtaxat primaſq; vias Temeti vis pertingat, aut ſi cæteras quoque non niſi ex accidenti & ſequelæ ratione. Imò verò fertur ad diſtantiſſima quæque vini facultas integra, & valida ſuopte motu, ſubſtantiæ tenuitate pro vehiculo vtitur, minutiſſima prõptè peruadit & permeat, eadem vt fluxilis quaquauerſum digeritur atque diffunditur: Actionem promouet calor, concreta liquat atque diſſoluit, craſſa attenuat, altiùs impacta foris prolicit per cõuenientes vias nullo arctis ductu, at certiore quàm ars vlla delectu. Quæ in primis ſtabulantur vijs vomitu excludit & ſeceſſu.

Ichores ſuperfluos in venis contentos, vrinis: quæ ambitum corporis obſidẽt ſudoribus, & inſenſili tranſpiratu. Dices ſymptomaticas eſſe id genus vacuationes quas vel irritata aggreditur natura vel oppreſſa, nec ſine detrimento aut periculo euidenti. Sed quæ Cathartici actio quantumuis arte præſcripti ab omni diſpendio & ſymptomate immunis? Vix vllum præſidij genus reperias (ſi Galeno fides eſt) omni ex parte innocẽs. Addo ex duobus malis minùs habere rationem boni, in medicina maximè. Cuius proprium eſt cuneum cuneo trudere (vt eſt in prouerbio) nam & venenis profligantur venena, & alieni à natura humores, alienis itidem à natura pharmacis quæ mediam quandã inter alimenta & venena ſortiũtur naturam: Quin etiam morbis curantur morbi: Sic ardorem febrilem venæ ſectione cõpeſcimus; Inuſtione cautherij, Iſchiadem: nerui pręciſione, conuulſionem. Liceat igitur pari ratione leuiore incõmodo, grauiorem ruinam admiſſo Bacchi prophylactico præuenire.

Hæc aliaque id genus vulgò iactitare

ſolent qui pro Baccho diſputant, quorum compeſcendus error eſt, ne vtilitatis ſpecie fallant imperitos, ſuoſque fautores in perniciem agant.

Illud in primis pro confeſſo ſupponendum priſcos illos ſapientiæ ac medicinæ profeſſores ſobrietatem longo interuallo ebrietati anteponendam cẽſuiſſe, illam virtutis honeſtæque actionis, hanc contrario nomine donaſſe, Illam bonorum omnium, maximèque valetudinis inculpatę fontem, hanc malorum, morborumque ſentinam appellaſſe. (Sobrietatis ac ebrietatis voce actum habitumque ſimul comprehẽdo) talem porrò rectè ſentientium fuiſſe mentem, Philoſophiæ ac Medicinæ in vniuerſum cõmunem non magni operis fuerit demonſtrare. Medicè hic agimus non moraliter, nec enim probare intendimus turpem ac vitioſam eſſe temulentiam, libero ac liberali homine prorſus indignam Ilotarum aut belluarum potiùs quàm virorum ingenuorũ ac honeſtorum propriam: Medica quæſtio eſt, vtrum ad valetudinem conferat ebrietas? Quam negatiuè concludimus,

certissimis rationibus & crebro experimento docti illam summis perpetuò grauissimorum symptomatum insultibus esse obnoxiam.

Multum ac repentè vel calefacere vel refrigerare, vel euacuare, vel implere malum (ait Apollo noster) & omne nimium naturæ inimicum; Non satietas, non fames, aut aliud quidquam quod naturæ modum excesserit bonum. Cui igitur bono fuerit ebrietas quæ sine excessu esse non potest? Et sanè cùm in quadam moderatione partium proba constitutio sit posita, quicquid à medio recedit naturæ pariter ordinem, si naturæ ordinem ergo & probam constitutionem vitiet atque interturbet necesse est. Qua ratione moti quondam Ægiptij, referente Heredoto, cùm morbos omnes à repletione putarẽt proficisci, triduo se Clysteribus, & purgationibus singulo mense vacuabant. Tantó verò molestior est repletio, & grauioribus periculis obsita quantò plures obsidet partes. Molestissima itaque censeri debet quæ ex crapula nascitur, cùm ventriculum, hepar, cor, cerebrum, venas,

arterias, neruos omnem corporis ambitum vehementer occupet. Demus si lubet redundantem vini copiam ventriculi calore ſuperari, coqui, in chylũ laudabilẽ trãſmutari. Multitudine obruetur hepar, diſtendentur vaſa, nò ſine obſtructionis, aut ruptionis metu. Sin à proprio munere deficiat cõcoctrix vẽtriculi facultas, mox pullulant crudiores ſucci ductiſque quaquauerſum ab hoc fonte riuulis omnes ſubeunt partes omnemque ſingularum partium Oeconomiam funditùs euertunt, hinc vẽtriculi, lienis, inteſtinorum, cæterorumque viſcerum dolores, & articulorum immanes cruciatus: Hinc cardialgia, in appetentia, ciborum faſtidiũ, citta ſeu μαλακία, tenebricoſa vertigo, Epialthes, Comata, apoplexiæ, cõuulſiones, Ectaſos: hinc vt verbo dicã cũ Aſcręo Poëta.

Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείδὲ θάλασσα:
Νοῦσοι δ'ἀντρώποισιν εφι ἡμέρῃ, ἠδ'ἐπὶ νυκτὶ
Αυθόμαθοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι

Terra malis plena eſt, his & vada ſalſa redundant:
Morbi errant homines inter noctesq; diesq;

Sponte sua nati, cladem exitiumq́ ferẽtes.
Tales prauæ voluptatis effectus (quam pandoræ nomine significauit idem Hesiodus) hæc supplicia, quæ temulentis adstant pro foribus, minantur omnib⁹, parcunt nemini, aut paucis certè quib⁹ vel natura, vel ætas ad obsistendum firmior.

Vrgent in contrarium aduersarij, & quod de crapula in vniuersum asserim⁹, de quotidiana siue ordinaria solummodò admittunt. Vt enim repetito frequentiùs Pharmaco quantumuis salutari exoluuntur corpora, ita & temulẽtià frequenti. Quamobrem crapula vt Cathartico vtendum suadent ad exstirpandas morborum imminentium radices, id quod ab vtroque vacuatione perficitur. Neque multum interest quo tãdem præsidio vtare dũmodò tutò res & suauiter succedat. Ad quid vino suauius? quid medicamento insuauius, cuius ne odorem quidem, imò ne aspectum feras? An verò Pharmaci vsus quàm vini tutior? Pharmaci (inquam) quod ad veneni naturam accedit quam proximè (eius proinde nomine etiam intelligũ-

tur venena) quàm vini, hoc est depluentis è cœlo Nectaris ad vitæ & valetudinis tutelam.

Nec obstat quod in contrarium obijcitur, corpora succis crudioribus à crapula infarciri; quæcunque à crapula inuritur labes, eiusdem beneficio protinùs eluitur, prolicit hæc ipsa ex intimis visceribus proprium virus scorpionis in morem, ac præterea cacochymiã omnem potenter excludit; hæc aliaque id genus retorquent ebriorum aduocati, quæ leui momento retundemus.

Nobiscum sentiunt à frequenti crapula malorum Iliadem procreari, sed à rariore pernegant, quanquam par vtrobique videtur ratio. In frequenti crapula nos excessum damnamus, vasorum plenitudinem ab excessu, aut cruditatum prouentum, hæc ipsa pariter in rariore obtingunt, sola distinctione maioris aut minoris. Non enim tãta cõgeritur lues, tam altè defigitur atq; inprimitur ex vno actu quàm ex pluries repetito. Quid quod experientia comprobatũ est minus à crapula affici qui quotidie quàm qui rarissimè compotatio-

nibus indulgent? Contrahitur enim ex praua consuetudine quædam dispositio corporis quæ in habitum transit & in naturam, quò fit vt longo tempore assueta minorem molestiam exhibeant. Sic assuetos licet imbecilles & senes, iuuenibus & fortibus, sed insuetis minùs molestè labores ferre annotauit Hippocrates. Addo minùs redundare excrementis quibus frequentior obtingit purgatio, minùs itaque cacochymiæ symptomatis erũt obnoxij qui frequẽtiùs Baccho litabũt, quã qui parciùs.

Neque verò recipienda Cathartici cum vino facta comparatio longè dispar vtriusque actio. Sanas carnes habenti nocet Helleborus ait Hippocrates, quod de cæteris quoque purgantibus fortassè concesserint, de vino constanter negarint nostri Antagonistæ: frequenti purgantium vsu natiuus calor infringitur, humidũ primigenium absumitur, assuescit non ali corpus, vnde in fami⁹ euadi pigrior ad solitas euacuationes vis expultrix redditur, quo nomine crebræ purgationes Galeno, Celso probatisq; medicis improbantur

Contraria de vino adstruunt qui pro vinolentia disputant. Quanquam falsi conuincentur si obiecta expendamus.

Nullum vino suauius Catharticum inquiunt, nullum tutius. Vino nil suauius fateor si modus adsit. Nihil vino tutius, & ad facultatum omnium robur & custodiam accommodatius si in terminis consistas, sed vini excessum pro Cathartico constituunt, quo nihil insuauius, nihil corporis animique viribus infensum magis & funestum. Age si lubet obiiciamus nobis ob oculos ebrium quempiam vastum exhaurientem poculum, quale nostris potoribus paulò ante propinauimus, aut quale apud nos solet sanitati destinari, aut apud Germanos somno (schlaff drunck vocant) mox hominem videas collacrymantibus oculis anhelantem, reluctãtem stomachum, singultu & Nausea deponere sarcinam attentantem, acidum aut nidorosum velut ex profundo impuritatis Barathro eructantem (ignoscant migi puriores aures) læsam degluciendi actionem, relaxatis supra modum faucib⁹, deprauatum gustum,

tetro os infectum exſpiratu, ore exceptum liquorem fœdè ac turpiter circum labia refluentem, an vllo quæſo in eiuſmodi potu ſuauitas?

Dij talem auertite peſtem.

Iam quæ certa vtilitas ab incerto præſidio? Anne crapulam certò conſequitur vomitus? quid ſi nulla ſit ventriculi ad eiuſmodi euacuationem propenſio? ſi anguſtum aut male affectum pectus, collum oblongum, ſi patiantur oculi, ſi debile cerebrũ, ſi reluctetur humor, ſi tempus aduerſetur? Æſtate per ſuperiora mouendum cauentes hyemem Hippocratis decreto, vt hyeme per inferiora cauentes æſtatem. Nullus hic temporum, nullus humorum delectus, nulla perſonarum diſtinctio, promiſcuè ac indiſtinctè cõtenditur ingruẽtibus morborũ procellis defigendã hanc ſalutis Anchorã Demus ſanè cõcurrere ex voto ad vomitũ omnia, maius ab ebrietate incõmodum quàm à vomitu expectari debet. Ab ebrietate dico, ſi enim pauca ad ciendum vomitum vini quantitas ſatis eſſe poſſet, quanta à Galeno conceditur, nullus foret contro-

uersiæ locus : Quantas porrò, quàm numerosas, quàm atroces ebrietas excitet variorum affectuum tempestates, demonstratum hactenùs à nobis copiosè, neque magni operis est aut laboris experientissimorum virorum suffragio productas rationes & experimenta fulcire. Audiamus in primis disertissimum illum naturalis historiæ scriptorem ebrietatis molestias graphicè depingẽtem. Hinc pallor & genæ pẽdulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus affundẽtes plena vasa: & quæ sit pœna præscio, furiales somni, & inquies nocturna: præmiumque summum ebrietatis libido portentosa, ac iucundum nefas: postera die halitus ex ore fœtidi ac ferè rerum omnium obliuio, morsque memoriæ. Plura & grauiora his annumerat diuinus Hippocrates quorum facta à nobis in præcedentibus commemoratio. Qualia dolores capitis implacabiles & immanes, à quibus vocis interceptio & exolutio virtutis; subita obmutescentia, biliosi vomitus, cum delirio, & vigiliis continuis. Addit tremores, Apoplexiam, Maniam, conuul-

ſiones demumque frigus opprimens, à quo natiuus calor ſuffocatur atque reſtringuitur. Equidem non tot monſtra parturit Africa quot ebrietas morbos.

ὅστις δὲ μὴ γαστρὸς κρατεῖν ἐπίσταται
Οὗτος. τὰ πλέω τῶν κακῶν ἔχει κακά.

Cohibere quiſquis neſcit effrenem gulam,
Incantus addit in dies malis mala.

Quamob cauſam dicere ſolebat Anacharſis tres à vite vuas produci. Primã voluptatis, alteram ebrietatis, tertiam luctus & mœroris. Quid quod ebrietas ipſa malum toto genere grauius alijs quibuſcumque in quorum curationem adhibetur? ſiue eius eſſentiam ſpectes, ſiue ad affectas partes reflectas oculorũ aciem, ſiue ad læſas actiones.

Cerebrum primariò & per ſe adoritur partem principum partium principẽ. Actiones lædit quotquot à ſenſibus oriũtur tum internis cũ externis, quotquot à motrice facultate, quotquot ab ipſa mẽte, admirabili planè ac pœnè diuino rationis domiclio. Propria verò eſſentia ſic valida eſt & violenta, vt quaſcunque attingit facultates, ſi non funditùs euertit, ſaltem peruertat ita

vehementer, vt quem iure nominaris ebrium, siue possis insensilem, immobilem, irrationabilem vocare; si qui ebrietatis superstites sensus, fallax est & infidus: si quæ motio, ad geminandos casus;

Tolluntur in altum
Quo casu grauiore ruant.

Si quæ ratio, ad contentiones, ad iurgia, præter humanæ societatis leges, præterque rationem, siti intolerabili coactus Lysimachus suam suique exercitus libertatem hostibus frigidæ haustu vendidit; mox expleto tantillæ aquæ potione appetitu exclamasse fertur, dij immortales, quàm breuis voluptatis causa. Quantam amisi voluptatem! frequens ebriosis id genus exclamatio, dum ebrietatis clades à capite ab calcem summa corporis animique molestia dies noctesque persentiant. Minimè itaque tutum fuerit ad cæterorum morborum curationem temulentiam adsciscere. At morbi morbis curantur, inquiunt: nempe grauiores leuioribus; dilatantur vulnera, noua quandoque infliguntur, aperiuntur abscessus, ferro &

& flammis vtimur in extremis. Leuiora id genus incommoda comparatione aliorum, quibus pro remedio applicantur. Sed quis leuem conuulſionem acuta febre curauerit? Quis rediuiuam digiti amputatione ſuſtulerit? Quis (vt paucis complectar omnia) ad leuioris affectus ſolutionem grauiorem induxerit? hoc qui faciat tortoris aut lanij nomen vel apud imperitos obtinebit. Nemo igitur ebrietate, quæ exitialis eſt corporum humanorum peſtis, pro remedio vtetur. Corporum dico, imò & animorum, quorum facultates functioneſque labefactat atque corrumpit.

Ebrium eſſe quam voluptatem affert?

Ait Propertius.

Cùm prudentia vinus teipſum priues
Quod ſummum naturæ noſtræ bonum contigit.

Soporem lethi conſanguineum, aut mortis imaginem vocant Poëtæ, quoniam in ſomno vt in morte ſenſus ab opere feriantur. Quantò conuenientiùs ebrietatem mortis nomine donarint? cùm in hanc proximus ab illa ſit grad⁹, cum abolito vtrinque rationis vſu, in-

terceptis singulorum partium actionibus, ebrius haud æquiori iure dicẽdus homo videatur quàm demortuus. Reuocemus quæso nobis in memoriam quot quantique à crapula quasi momẽto exstincti mero putentem animam turpiter efflarint. Proferrẽ exempla si liceret quorum ego oculatus testis, prę stat ex antiquis illa repetere quorũ probati auctores, & recepta fides apud posteros. Triginta quinque in præcedentibus percensuimus omnes ab vno Alexandros præmijs ad cõflictum Bacchicum prouocatos vno eodemque conflictu Bacchicos simul prostratos omnes. Alexander ipsi vino non veneno infectus, interijt; Si Plutarcho, Diodoro Siculo, Athenæo, potiùs quàm vanæ quorundam opinioni credimus. Rigulus Athleta robustissimus ingenti cratere demersus repentè concidit. Parem incurrerũt cladem Eumenes Philitori Pergamorum Regis nepos: Alexãdri familiaris Ephestion: Archesilaus & Stilpõ ambo ætate graues non prudẽtia; Philosophi doctrina, non moribus. Arcadioni mors eadem mortis eadem

causa,ita ex hoc eius epitaphio legitur.

Ebriosi monumentum hoc Arcadionis
Erexerunt ad viam qua in oppidum itur
Eius filij Dorcon & Charmylus: extinctus autem ille est
O viator, ore hianti, cùm meri calicem ebiberet.

Cùm ergò ebrietas mortem corpori & animo præsentem afferat, concludēdum cum Theologis, impium, cum moralibus, turpe ac vitiosum: cum Medicis lethale ac pestiferum esse in eam deuolui. Cum Medicis, inquam, nam vna consensione omnes (paucos omninò excipio) in hanc sententiam feruntur. Illi ipsi qui in contrarium allegātur Hippocrates, Mnesitheus, Paulus, Dioscorides, Oribasius, ebrietatem damnarunt, quanquam liberaliorem quandoque potum non improbarunt, ea lege ne à modo & modestia longiùs abscedamus.

Ex nostra conclusione inferim⁹ seriò & accuratè nobis ab ebrietate præcauendū: Et nos ad præcautionis tractationē vocat orationis series, rapit cogitq; cōmunis pernicies multarū nationū.

EBRIETATIS praecautio.

CAPVT XLIX.

PArum omninò profuerit ebrietatis incommoda percensuisse, nisi eodem negotio intelligamus quibus illa medijs præueniri imminens, quibus composci inducta possit, atque profligari. Frustra de venenis medica institu-itur tractatio, si Alexipharmaca obmittantur, frustrà de morbis & symptomatis initur deliberatio, nisi de præsidijs consulamus: frustrà vulnera detegit artificiosa Chirurgi manus, nisi ad curationem chirurgica referatur intentio. Parùm omninò Vlyssi profuerat à Dea Circe accepisse quanto vitæ periculo se obijcerent qui circum Sirenum insulas nauigationem susciperent, nisi modum pariter accepisset, quo se suosque ab illarum insidijs tutò vindicaret. An aliud quicquam est quod Sirenibus aptiùs quàm ebrietatẽ comparemus? hæc vini suauitate, & blandis popinonum

vocibus demulcet incautos atque delinit, vt illæ cantu, sensimque sine sensu ad se pellicit, mox euictos sensus atque sopitos per vim aggreditur, ac demum funesta strage in extremam perniciem rapit. Quid præsidij? nisi vt Vlyssem, hoc est rectricem rationem, nauis quam ingreditur malo, hoc est corporis compagibus sic arctè deuinctam teneamus, vt nulla vi à nobis diuelli se patiatur. Vlyssis socijs aures cera obturemus, hoc est comites aut asseclas potiùs rationis sensus obducamus prudentiæ sigillo, ne quis pateat externis illecebris in illos aditus, Occludamus, inquam, aures vanis heluonum persuasionibus, & querelis tanquam crocodili lachrymis crateribus, vtramque manum: Vini sapori, os; odori, nares; colori, oculos: Ne intuearis vinum quando flauescit cùm splenduerit in vitro color eius (inquit sapiens) ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit, vt coluber & sicut Regulus venena diffundet; Quid verò Thyrsi effigie significari putamus, nisi insidiantem Bacchum? Latens est armatura Baccho familiaris, obtecta

hedera, vt visum fallat, cuius mucrone Pentheus, Orpheus, alijque complures cæsi perierunt. Serpentem ferunt vtrasque ne incantamentis vincantur aures diligenter præmunire, vnam solo depressam obuertere, alteram quæ eminet cauda obserare. Par adhibenda nobis cautione aperta in cerebrum per aures via, captis primum blandiente Lenocinio internis sensibus, mox amicitiæ specie mentem consecutione ad se pertrahant compotores. Tutissimum præ cæteris (ipso sapientis consilio) illorum cõsuetudine se subtrahere, conuiuiorum apparatum procul splendoremque ablegare. Procul ab Ioue proculà fulmine ait prouerbiũ. Scriptis antiquorum reperimus, Philippum Macedonum Regem luxui ac omni incontinentiæ generi addictissimum, sui similibus maximè delectari solitum, omnes si qui fortè morum essent cultiorum paulatim ac veluti subreptice suo exemplo in suam vitæ formam pertraxisse. Dictum paulò ante à nobis ebrietatem esse exitialem quamdam corporum ac animorum pestem, eadem ita-

que ebrietatis & peſtis Prophylactica admittenda, iſta medicis vſitata in peſte, trita vulgo.

Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.
Eadem aduerſus popinas & popinones vſurpanda.

Sed hic à propoſito diſtrahor, Philoſophi moralis partes ſuſtineo, medicè agere inſtituo. Eò me adigit ſcientiæ vtriuſque affinitas, neceſſitas retinuit. At quæ præceptorum neceſſitas inquies in re vel impoſſibili? Vel abſona? Barbariem ſpirant quæ imperantur, extranea ſunt & præter humanam ſocietatem. Si philoſophos conſulas reclamabunt, docet diuinus Plato, & à Platone Gellius, minimè neceſſarium eſſe intemperantiæ metu à genialibus menſis, vndequaque ſe ſubducere. Hoſti terga dare vilis abiectique animi eſt, tum maximè cùm de proſpero euẽtu deſperari non poteſt. Inter ſpem & metum medium tenet fortuna bellica; prima victoriæ laus in certamine; virtutis in actione, conſiſtit.

Mors & fugacem proſequitur virum
Nec parcit imbellis iuuentæ

Poplitibus, timidoque tergo.

Ferimur plerumque necessitate quadam ad conuiuia,

Tunc animis opus est & pectore firmo.

Longè consultiùs arbitror vrgente malo quomodo te ab exitio vindices diuturna experientia didicisse, quam cæcæ libidinis & incontinentiæ telis inerme ac inexpertum caput aperto periculo obiecisse. Enimuerò ad pocula quandoque reluctantes impellimur, vel vi vel præcariò, sin alio quocunque tandem humano respectu: flendum cum flentibus, ridendum cum ridentibus (vt est in prouerbio) quis iam fugæ locus? Facessat magistra morum Philosophia, seruiendum tempori, suis argumentis multa concludant Philosophi, nihil euincent, compotandum est interim dum de sobrietate disputant, sitim longa oratione exasperant, geminantur pocula, clam & quasi per cuniculos serpit ebrietas, sensus captat, subit incautam mentem: cedunt in risum Philosophica Theoremata, ac in derisum, ni fracta vel retusa Thyrsorum acie irruẽtium hostium insaltus omnemque vio-

lentiam fortiter eludant. Nil hic opus verbis adeste animis viri Philosophiæ cultores, arma ſumite, in medicis caſtris nobiſcum vnà conſiſtite, vallis vndique ac foſſis ſeptas inuenietis Æſculapij arces; collocata vndique contra vim præſidia. Non deerunt militares apparatus, ſuppetẽt plena, quod aiunt, manu idonei commeatus, tum propriȩ ſuſtentandæ vitæ, cùm alieno impetui cohibendo, & iniuriis propulſandis. Bacchum ipſum adoriemur, & comprimemus ita validè vt ne ſpirare quidem ipſi liceat. Tot præſidiis ſalutaribus & neceſſariis inſtructi, certa victoria potiemur. Si qui tamen aut naturæ vitio, vel imprudentiæ lapſu cadant in aduerſas manus, mox ab omni metu & periculo immunes illos in priſtinam libertatem aſſeremus. Reliquis is præſenti tractationi campus, à præcautione ordiamur.

DE EBRIETATIS PROPHYlacticis, ac primùm de irritis quibusdam ac periculosis ex antiquorum monimentis.

CAPVT I.

EBrietatis antidotos duplicis generis à veteribus traditas inuenio: primi sunt quæ vini fastidi inducunt, saporis gratiam & voluptatem omnem potoribus subtrahunt. Secundi, quæ vini vim infringũt aut retundunt: vel reprimunt, aut dissipant vapores. Priores haud iure possis prophylactica nominare, cùm per se primo, suaque vi nostrum ferant gustum, cuius alteratione pabulum ebrietati detrahitur, quamobrẽ vini aut gust⁹ venena potiùs quàm vinolentiæ Alexipharmaca sunt æstimanda. Hoc in genere noctuæ oua percẽset Plinius triduo ex vino epota. Item vinũ in quo nullum aut Rubellionem (pisces sunt maritimi) vel anguillas duas suffocaris, vel vna marina cõputruerit. Addunt recentiores in quo ser-

pentes duos, aut ranam viridem extinxeris. Parem vim tribuunt Democritus aquæ ex recens exſecta vite ſtillanti: & fonti Clitorio naturalis hiſtoriæ ſcriptores, ex quorum penu iſtud excerpſit Ouidius.

Clitorio quicumque ſitim de fonte leuarit
Vina fugit, gaudetque meris abſtemius vndis.

Sunt qui in eundem vſum oua noctuæ Elixa infanti eſitanda præbeant antequam vinum guſtarit. Alij teſtudinem vino abluunt, vinum ad vncias tres ieiuno propinant triduo conſequenti. Quicquid tandem ſit de eiuſmodi præſidiis, certum apud me eſt, & propria experientia comprobatum, plurima ex productis ſæpè opinionẽ fefelliſſe. Vino extincti ſerpentes & anguillæ expectationi meæ, cùm periculum facerem, non reſponderunt. Vt cætera taceam quæ longè præſtiterit (quantum ego ſentio) nuſquam ad praxim reuocaſſe. Nam vel in rem præſentem nihil omninò conferunt, & fruſtra vſurpantur, vel qualitatem aliquam efficacem guſtui

imprimunt,& hæc extranea eſt, pręter naturam, præterque inculpatę conſtitutionis ordinem. Cùm enim guſtandi facultas incerta quondam primarum qualitatum harmonia & concentu ſit poſita,ſi quid guſtum labefactat aut deſtruit, hanc ipſam harmoniã vitiet aut corrumpat neceſſe eſt. Id quod vel per ſe fit immediatè, vel extraneæ materiæ interuentu. Ideò ſuffuſa bile lingua deprauato ſenſu amaricat quicquid in os inditur. Quin etiam medici vulgò cum deprauato guſtu vel appetitu ea perhorreſcimus & quæ palato grata eſſe ſolent, & ſtomacho familiaria, ventriculi os malè affici pro indubitato conſtituunt. Equidem tanta eſt palati & ventriculi cum vino conſenſio, tanta ab hoc diuino nectare redundat in omne corpus vtilitas, vt eo priuari ſine tædio aut ſine detrimento vix poſſit. Iuſto ſupplicio à Baccho mulctatus eſt Rex Lycurgus quod extirpendæ temulentiæ gratia vites quotquot ſuæ ditioni ſuberant exſtirpendas curaſſet. Pari pœna puniendi qui,vinolentiæ arcendæ cauſa, vini vſum penitus ſupprimere

attentāt in tanta præsidiorum selectissimorum copia, quibus facilè, tutò ac vtiliter vis eius effrenis edomatur, temperatur ardor, malefica actio impeditur. Illorum præcipua quædam ex probatis auctoribus depromemus, singula (quoniam facultate multum inter se discrepant) seorsim quanti sint reputanda per propria capita discutiemus. Ab eo exorsi cui nomen indidisse videtur ebrietatis depulsio.

DE AMETHYSTO, ET *Dyonisio lapide, & veruecino pulmone tosto.*

CAPVT LI.

MAgicarum artium professores (vt auctor est Plinius) vim amethysto tā lapidi quàm herbæ ebrietatis præseruatiuam inesse volunt, hincque inditum ipsi à Græcis ἀμεθύστου nomen, hoc est ebrietatis expulsoris. Huic opinioni subscribunt recentiorum nonnulli quæ olim tanti valuit apud plurimos, vt vasa ex eo lapide concinnarint,

quò ſe aduerſus temulentiam munirẽt, alij collo appenſum lapidem ipſum geſtarent. Verùm ego ingenuè profiteri auſim, vel nos genuino antiquorum Amethyſto noſtro tempore carere, vel credula nimis facilitate lapſos veteres ſolo attento nomine poſteris aberrandi occaſionẽ præbuiſſe. Hunc errorem notat in ſympoſiacis Plutarchus in Eratonis perſona: Qui lapidem aut herbam amethyſtum inde appellationem traxiſſe autumant quod ebrietatem impediant, falluntur, inquit, nam vtriq; à colore nomen qui illis & diluto vino aut vappæ communis. Nemini itaque conſuluerim vt ſuo periculo experiatur, quod crebra experiẽtia multorum malo falſi conuicit,

Multò minus Plinio crediderim lapidi quem Dyoniſium vocat virtutem amethyſtam ſingularem concedenti, ſi vino ſolutus bibatur. Addit & vino ſaporis gratiam eius permiſtione conciliari. Lapis eſt durus, niger, maculis rubricantibus aſperſus, quem qui auidè perquiret, ea conditione vt non antè vinum guſtet, quàm Dyoniſium cõ-

parararit, erit in quærendo quàm in inueniendo ab ebrietate securior.

Nulla hìc nobis mentio de coronis, nulla de vnguentis, nulla de potorijs de quibus in præcedentibus dictum satis, maximè cùm vix tantillum valent ad ebrietatem præuertendam.

De pulmone veruecino tosto quid dicemus? quem etiam à Plinio pro temulentiæ amuleto commendatam reperimus, & cœteris edulijs hunc in finem pręmissum à plerisque, Plinij persuasu. Si ad occultam quandam proprietatem eius referunt actionem, mihi suspecta est: sin ad manifestam qualitatem aliquam, puta siccitatem assatione conquisitam, imbellis videtur. Ne quis verò temerè me admiranda naturæ secreta damnare arbitretur, ac penè diuinas corporum naturalium proprietates licentiosè refellere, prouoco ad experientiam. Expertus loquor: vidi insignes popinones tam facilè & prõptè ebriatos, cùm veruecinum pulmonem elixum deuorassent quàm cùm non attigissent. Non igitur ad hoc indita pulmoni facultas incognita, quorsũ enim

elixatione euanefceret? An quia demerfa iufculo? Quidni & affatione diffoluitur? An quia compacta, folidaque mole quodammodo fopita, & obruta, calore igneo excitari non abfumi poteft? Quid quod folidiorum molliorumque corporum, vis integra elixatione macerationeque in dilutum tranfit, affatione deperditur, aut hebefcit? In Rhabarbari diluti vis purgatrix efficax, affatione adoletur. Sexcenta id genus petuntur à medicis exempla. Si ergò elixatione perit in pulmone facultas, quidni in iufculum commigrat? Quidni quod pulmoni tofto, pulmonis tribuitur iufculo? Iam fi recurras ad ficcitatem affatione contractam, diuerticulum nactus es parum tutum, idem in cæteris pulmonibus fatearis neceffe eft quod in veruecino, idem in plerifq; tum fimplicibus, cùm compofitis, quorum ficcandi vis potentior: Quocunque tandem confugias nulla experimento certior ratio, explodet rationem fenfus, & veruecinus pulmo fiue toftus, fiue elixus fidem tuam ridiculè eludet.

DE HIRVNDINVM ROS-
tris cum myrrha.

CAPVT LII.

HIrundinum roſtra in cinerem redacta myrrha permiſcebat Horus Aſſyriorum Tyrannus, miſcella vinum condiebat, vino pro Amethyſto vtebatur, ducto ab apparente ratione, remedij fundamẽto. Docent qui medicinam profitentur Hirundines, & qui in Hirundinum pullis reperiuntur lapillos certo experimento mirè ad Epilepſiæ curationem profuiſſe, paucos hoc tempore videas in contrarium reclamãtes, paucos qui ſtillatitias ex Hirundinibus aquas non proliciant, aut qua alia forma medicamenta comparent, ad Epilepticos inſultus. Quamobrem nil inconuenit æſtimare vim quãdam beneficam & ſalutarem roſtro ineſſe, quæ & reliquo corpori communis humano cerebro robur impertitur, ad ſedandas ebrietatis tempeſtates. Illi auxiliaris aſſidet calor, aſſidet ſiccitas calcinatio-

nis ſoboles, diſcutiendis abſorbendiſſ-
que vini vaporibus efficax. Actionem
promouet myrrha ſe ſola ſufficiens ad
ebrietatis præcautionem, dummodo
parca ſumatur manu, ne odore noceat.
Calore quo pollet, fumos diſſoluit, hu-
morem exhaurit ſiccitate, poritat ex-
cretiones deterſione, aditum ad ſupe-
riora vaporibus in oris ventriculi ad-
ſtrictione. His omnibus inſtructa doti-
bus myrrha vaſorum myrrhinorum
vſum, nomen, ac inuentionem dedit.
Compoſitioni qua de loquimur affinis
illa eſt, quę recipit myrthi flores, rutam,
& myrrham. Et à Galeno deſcribitur
ſecundo de medicamentis ſecundùm
loca, hoc inuicem diſcrepant quod illa
ſit ſiccior, hæc adſtringentior.

DE AMIGDALIS AMARIS, *abſinthio, & Perſicorum nucleis.*

CAPVT LIII.

Ad præfatas myrrhæ qualitates
proximè accedunt amygdala

amara, ideò myrrhæ ſuccedanea putantur medicorum vulgò, potiora tamen in rem præſentem medicis potioribus æſtimantur, Dioſcoridi inter cæteros apprimè commendata. Memoria dignum quod in eorum cõmendationem à Plutarcho ſcribitur, à pleriſque repetitur. Medicus quidã Druſo familiaris omnes prouocabat ad pocula (pudet hìc medicũ potorib⁹ annumerare, parcãt liberiori æuo noſtri coætanei, nulla inde ſcientiæ inuſta labes, nulla medicis modò ſe frugalitatis & modeſtiæ terminis contineant) is adoriebatur omnes armis Bacchicis, proſternebat ſingulos, proſtratus à nemine. Quo tandem genio dubitatum, exploratumque nunquid in eo plus valeret ars, quàm in cæteris natura. Deprehenſus medicus artem prodit, fatetur ſe ante ſingulos hauſtus Amigdala quinq; amara deuorare. Ventum iterum ad pocula, detracta medico Amygdala prophylactica, par iam congreſſus, diſpar exitus, medicus proſternitur. Is Amygdalorum effectus. Iam quæ ratio? Cauſam refert idem Plutarchus in qualita-

tem detergentem atque vellicantem (quæ ex eo manifestè conſpicitur quod faciei maculas & lenticulas potenter eluat) ſuo ergò amarore corporis exiles ductus, & inſenſiles poros diuellunt, & quendam veluti morſum imprimũt, àquo reuelluntur & diſſipantur vapores ne in cerebrum inſiliant: aut potiùs hoc ipſo amarore abſumuntur atque deſiccantur humiditates corporis, ſic vt nullius venarum repletioni reliquus fomes, ex quarum diſtenſione, plenitudine, commotione, procreari ebrietas putantur. Hæc Plutarchus quæ Philoſophis & medicis examinanda relinquimus. Addimus interim facultatem Anodynam ad capitis dolores& diureticam ſatis potentem. Illa cerebro robur indit ad vini halitus comprimendos: hæc vinum ipſum è corpore per vrinæ vias protinus excludit, nediuturniore mora labem inferat, conatum excluſionemque dirigit oleaginea amigdalorum ſubſtantia has ipſas vias leniendo.

Amigdalis ſubſtituũtur abſinthium, & nuclei Perſici, pares in vtriſque ad

rem medicam facultates agnoſcũt Galeni ſectatores, & nos ad rem præſentem pares. Pro abſinthio facit eiuſdem Galeni auctoritas, facit ab eius doctrina petita ratio. Is Dioſcoridem ſequutus abſinthium cibis præmittit à duerſus temulentiam: Nec immeritò cùm ex eorum ſit claſſe, quæ ſubſtantiæ terreę exuſtione inſignem amarorem contraxere, ſimulque cum amarore ad ſtrictionem deterſionem, calorem omnia ad hanc intentionem cumulatè hactenus commendata; quibus pro corollario accedit vis diuterica, ex ſe, quid aliud, in hoc genere efficax: de Nucleis Perſicis dubitari non poteſt quin de Amigdalis amaris pariter dubitetur, à quibus tum ſubſtantia, tum qualitatibus (ipſo ſenſus iudicio) parum omninò diſcrepant. Si qui forte diffidant tuto & facili experimento euadẽt certiores. De croco diſputatio eſt, inter doctos, ratio dubitandi æquior, quam paucis perſtringamus.

DE CROCO.

CAPVT LIIII.

QVi pro croco diſputant, ſi infirmis rationib⁹, firmis certè nituntur auctoribus. Crocum imperat Dioſcorides ex vino è paſſulis expreſſo, ſecurum Amethyſtum affirmat. Subſcribit Plinius, ſui temporis popinones teſtes appellat, qui Bacchicum inituri certamen croci potione præmunire ſe conſueuerant, & proſpero (vti credebatur) ſucceſſu. Addit Plinius ſerta crocea ſomnum inducere, cerebrum nihilominùs aliquantum commouere, Quib⁹ verbis ſuſpectam reddidit priorem de croco ſententiam. Nam ſi ita eſt accelerandæ quàm retardãdæ temulentiæ, crocus videtur aptior, & ſanè ſui oblitum in Croci hiſtoria Plinium nemo non videt, cùm aſſerat ſexta crocea temperãdis vini vaporibus eſſe accommodata, neque recordetur ſe antea negaſſe vllum croceis ſeu ſertis, ſeu corollis, locum in conuiuiis fuiſſe, quod

minutulis constaret flosculis instar filamentorum. Vt vt sit de huiusmodi sertis & corollis, de virtute illorum somnifera, Plutarcho cum Plinio cōuenit, quorum suffragio ducti non pauci crocum probãt ad ebrietatis curationem, vt pote quę intrò reuocato per somnum calore naturali multum promouetur. Nobis de præcautione sermo est, crocum ad curationem imperent illi, nos ad præcautionem improbam⁹. (Quanquam non similiter vt veterum medicorum nonnulli, qui crocum ad dragmas tres ex aqua potum exitialem censebant) nostræ opinionis fautorem nominamus ipsum Plinium qui crocum suo odore ferire ac implere cerebrum, capitis dolores excitare, mentem turbare scriptis consignauit. Quam ob causam Galenus hieræ compositioni, cùm de capitis debilitate querela est, tertiam croci partem detrahit. Hæc de croco, nunc de mirthino vino de quo Dioscorides: item de oleo, de cicuta, & pumice lapide sigillatim, (quo lectori curioso satisfiat) sed breuibus, ne literis abutamur & otio.

DE VINO MIRTHINO ET hederaceo, de oleo, cicuta, pumice lapide, & aliis.

CAPVT LV.

FAcultates in vino & mirtho plane contrarias depingunt, qui de simplicibus pertractant. Calorem in vino agnoſcunt, humiditatem, tenuitatem partium, & ab his profluẽtem attenuationem, apertionem ac penetrationem. Cõtraria in myrtho omnia frigidalem, ſiccitatẽ, craſſitiem, vnde incraſſatio, adſtrictio, repreſſio. Vino itaque mirthino inſignis ad præuertendam aut tollendam ebrietatem virtus denegari non poteſt, quanquam ad hoc quàm ad illud fortè efficacior: ſatis ad probationem facere videntur quæ capite de coronis ſcripſimus, vti de Thyrſis facta à nobis commemoratio, quos credibile eſt ideo mirtho fuiſſe obtectos, quod tutiſſimum putarent Baccho & Bacchi miniſtris in mirtho præſidium. De hedera pariter diximus, eius vſum in coronis

coronis nõ reiecimus, ſed minimè recipiẽdi qui ſumptas hederæ baccas in eodem ordine collocant, cùm è contrario vinum in quo macerantur inebriandi vim ingeminet, vniuerſi corporis Oeconomiam labefactet atque perturbet. Dioſcorides hederam damnat, ſi non in genere, ſaltem in ſpecie. Docet nigrę baccas aut epotũ ſuccum corporis virtutes exoluere, & mentem turbare.

Lenticulas & porrhos (quibus etiam ſui fautores hac in parte, vt iniuſtis cauſis ſui reperiũtur patroni) ex Amethyſtorum albo penitus obliteramus. At ſilentio præterire non licet quod de óleo ab inſigni noſtræ ætatis medico animaduerſum, noſtra experientia confirmatum. Vidi dum Coloniæ commorarer, iuuenem quendam Leodunẽſem qui totis promeridianis horis duplicem ceruiſiam tãta copia ex vaſtis crateribus exhauſit, vt omnibus quot quot aderamus prodigij loco haberetur; admirationem augebat ſenſuum integritas, mentis conſtantia, omnium actionum firmitas tanta in iuuene; quanta in adſtantium vllo: in iuuene inquam, quo

eum mihi anteà fuerat consuetudo, quem paulò antè viderã sumpta octaua eiusdem ceruisiæ parte ebriatum. An in olei humiditatem torquenda est causa, vini, ceruisiæ vaporumque calorem obtundentem? An in vnctuosam substantiam potioni innatantem ventriculi os quodammodo sigillantem vnde vaporum ad superiora insultus inhibetur? An potiùs in lenientem quæ vrinæ vias in quas promptè serpit, lubricas reddit, & patentes assumpto liquori, qui suopte motu vt sequax est, in diductos quoscumque meat⁹, se se insinuat, & cùm adhærescere non possit, liberè percolatur & præterfluit, ita in pręfato iuuene contigit. In tanto, tamque efficaci causarum illarum concursu de fœlici euentu certò ausim vel inexpertus polliceri. Non inferior cicutæ vis & pumici lapidi à veteribus tribuitur: suas experientias illi obtrudunt quibus negare fidem honestè non possumus, nisi nostras pariter apud posteros velimus esse suspectas. Reuocare tamen in trutinã vtriusque qualitates nihil impedit; experimento nil detrahit, quis-

quis experimenti rationem inuestigat. Equidem si iudicium testem adhibebimus ambo videbuntur suspecta, comperiemus haud dubiè ab illorum alterutro, & ab vtroque venenum vino, mortali mortem parari; Vsu quidem probatum sed maximè periculosum antiquorum experimentum fuisse. Cicuta quidem è Toxicorum genere censetur à Dioscoride, tum ratione occultæ cuiusdam veneficę proprietatis, cùm frigiditatis insignis & manifestæ, multis olim exitio fuit, iniungebatur apud Athænienses morte damnatis pro extremo supplicio: in quem morem nos aliàs lusimus hoc disticho.

Nec veneri nec amica gulæ, cibus esto cicuta
Damnatis, modo te Socratis ora vomãt.

(Tali namque mortis genere occubuit longiori æuo dignus Socrates) verùm vt cuneus cuneo truditur, sic & venenum veneno. A scorpione ictus ab eo remedium petat (inquit prouerbium) sumptus Aconitus solum adoritur venenum si quod in corpore stabulatur: & cicuta ab ebriato homine deuorata

temulentiæ virus potenter edomat, viciſſimque à generoſo vino cicutæ vis refracta ſuperatur.

Ad pumicem lapidem quod attinet, à paucis inter venena computatur, ſed à plurimis inter Amethyſta. Tantam in eo frigiditatem vinoque ſic aduerſam reperiri auctor eſt Theophraſtus, vt ſi in feruentis muſti dolium iniiciatur, feruorem compeſcat. Quo animaduerſo tritus in puluerem à potoribus vſurpari cœpit priuſquam venirent ad pocula, non tamen abſque graui cladis imminentis metu, ni largiſſima potione promptè occurrerent. Interim dum ab alexicaco vincitur vis lapidis malefica & funeſta, Alexicaci violentiam mutua actione hebetat & obtundit. Abſit vt exitialia id genus Toxica in prophylacticorum album inſcribamus, ſerpentes pro piſcibus venditemus, licuit Epicureis quorum Deus venter erat, proprio vitæ diſpendio gulæ irritamenta & pabula cuiuſcunque tandem ſortis experiri: Iurare in noſtram perniciem Chriſtiana lex vetat, & ciuilis. Dicta iſta ſint in cautelam,

ne quis vel Theophrasti vel alterius lectione falsò persuasus, meritas leuitatis & imprudentiæ, simul & affectatæ intemperantiæ pœnas luat. Ad domestica veniamus.

DE RAPHANIS ET braßica.

CAPVT LVI.

REfert Plinius occulta quædam raphano & viti insita à natura dissidia, sic vt simul stare nullo modo possint, mirum equidem, nescio an verum, experiantur curiosi: Illud scio raphanum haud mediocriter facere ad rem potoriam. Negat Auicennas à Scorpione ictos mortis periculum subire, si raphanum anteà deuorarint. Ego raphanum haud minoris æstimo ad vini quàm ad Scorpionum iniurias. Soli experientiæ locus in adstruenda Auicennæ sententia, vix vllus rationi, si hanc quæras, vnicum ferè ad occultas proprietates refugium; nostra sensu firmatur, & ratione facili ac euidenti.

Manifesta in raphano persentitur acrimonia à qua vis expultrix proritatur: Vis est diuretica quæ potum per vrinas potenter excludit. Raphanus tenuitate partium qua pollet vapores attenuat, calore coquit, & resoluit, siccitate humorem superfluum absorbet. Non itaque iniuria tanti apud priscos compotores fuit: Quanquam brassicæ primas detulerunt, quibus fauent Neoterici. Validæ ad hanc opinionem rationes (vt experientiam sileamus, quæ licet magistra rerum vulgo nominatur, leui plerumque momento explodi solet) neque desunt auctores omni exceptione maiores. Deprehenderunt naturę contemplatores innatas quasdam inter vitem & brassicam inimicitias (naturales Antipathias vocãt) easque sic manifestas vt si in agris olus hoc assitum viti prosiliat, vel ipsa confestim euanescat, vel certè sarmenta eius languescentia contabescant. Item si brassica fuerit vicina viti, luxuriantes eius palmites potiùs repandi curuabuntur quàm recti velint propiùs accedere. Addunt vini tantillum effer-

uescentibus in olla caulibus affusum coctionem prohibere, moxque suis defunctos virib⁹ caules ad perniciẽ trahi. Probabilia illa quidem, sed fidem excedit quod Epiglottidis relaxationem succo caulium capiti asperso mox ideo percurari asserunt quod illi affectui vuulæ forma sit & nomen, curationis causam referunt in mutua inter brassicam & vuas odia, quibus mutuò se aggrediuntur & expellunt conatu. Ad eandem affectionem brassica vtitur Quintus Serenus, at hoc qui sequitur modo.

Aut vuam tosti puluis releuabit Anethi,
Aut cinis in cochlea, vel torrida brassica flammis.

Quid quod ne brassicæ quidem odorem vinea perferre potest? Ita scribit Theophrastus, ac præthereà multùm de vini bonitate deperire, si viti caules inserãtur. Vnde nobis olim orta huius Epigrammatis occasio.

Brassica vim vitamque homini non vitibus aufert.
Nempe homini vites non sibi vina parant.

His argumentis ductus Androcides brassicam vino ac ebrietati pro freno opposuit: veteres quoque Ægiptij, Sybaritæ, & aliæ pleręque Temeto addictæ nationes elixis caulium foliis, vel solo eorundem semine, ad congressus Bacchicos præmunire se consueuerant. Et sanè proditum ab eruditis brassicam crudam ex aceto sumptam ante pastum ebrietatem arcere: à pastu verò quinque ei⁹ folia deuorata crapulam discutere, sic vt nullæ vinosi halitus reliquię videantur superesse; In hanc intentionem crudis caulibus pro acetario vti hoc tempore Germanos quidam putant. Animaduersum ab experiẽtissimo nostræ ætatis viro Italos calendis Sextilibus Baccho dicatis genio liberaliter indulgere, petito à caulibus amuleto futuras strages præuenire. Quin & ipsa brassicæ folia calida macerata capitiq; imposita, ac obligata ebrietati naturaliter obsistere, scriptũ est à Galeno. Sed caulium delectus torquet nonnullos in tanta varietate. Sunt qui brassicam syluestrem (Petræam nuncupant quæ in maritimis plagis nascitur) cœteris an-

reponi velint, tum quia magno Catoni maximè commendata, cùm etiam quia vitibus omnium inimicissima, Nā eius vicinia contabescere vites ait Plinius. Aliter ab illis sentit Dioscorides, in solis domesticis caulibus vim Amethystam admittit. Et nos inter domesticos seligi rubros consulimus: Produnt viuido suo colore nescio quid in se quàm in reliquis ad omnia munia efficacius.

De re iam constat & de delectu, de causa non item, circa quam occurrit faceta veterum mythologicorum fabula. Comminiscuntur Bacchum Lycurgi metu aliquamdiu in mari delituisse, mox furtim incautum Lycurgū comprehensum vitis palmitibus deuinxisse. Indignabundus Lycurgus detestari, dolere grauiter, lachrymas fundere: versæ in caules lachrymæ, dolores in odia, quæ etiamnum in caulibus & vite perseuerant, & quasi postliminio reuiuiscunt. Dignum genialibus mensis, at non grauioribus musis commentum. Causam refert Aristoteles in succum brassicæ qui vt dulcis est & dif-

cutiens vini robur attemperat atque diſſoluit: vt frigidus calorem moderatur, vt tergens ducit ad inferiora, ad aluum, ad vrinas, & ſuperiores corporis partes à vinolentia reddit immunes. Caules mirificè commendat Cato ad ſymptomata omnia quæ ebrietatem conſequuntur, vt nil mirum ſit tanti eoſdem ad ebrietatem æſtimari: laudat ad capitis dolores, & tremores, ad oculorum caliginem, & ad deliria, quoniam pacatos inducunt ſomnos. Verùm ſingulas haſce dotes tantùm abeſt vt admittant qui de ſimplicibus ſcripſerunt, vt contrarios etiam effectus proferant. Braſſicam peculiariter oculis infenſam profitetur Galenus vbi de alimentis pertractat. Sunt qui κοράμβην ideo à Græcis dictam putent παρὰ τὸ κόρας ἀμβλύνεσθαι, hoc eſt quod pupillas hebetet. Alij huius dictionis aliud Etymon afferunt, nempe quaſi κορῶ ἀμβῆ, vel ſi ita mauis ἀντίβη quod crapulæ aduerſetur: Vt veterē de ebrietatis prophylactico opinionem confirmet. Nos in vtraque acceptione Iuuenili quondam feruore ſic luſimus.

Nomine réque oculis, Bacchoque inimica corambe
Turba oculos, turbent ne mihi vina caput.

Hìc notandum seriò neque caules, neque prefatorum remediorum vllum, aut si quæ alia eiusdem generis validiora satis perpetuò esse ad integram ebrietatis præcautionem. Ea quandoque vini vis est & copia, vt quorũcumq; præsidiorum obsistentia fortior, aditum sibi ad cerebrum paret, victos occupet deuinctosque sensus, mentem à sua sede dimoueat, totum hominem ebrietati det in prædam, quanquam non ita citò, nec ita grauiter & periculosè fortassè, ac si inermem offendisset. Bacchi feruorem nymphæ lotione restinxerunt, sed vrit adhuc, inest etiamnum Empyreumati vis ignea, cuius ardorem temperare ex parte quandoque possumus, compescere vndequaque non possumus. Ligneæ Archelai turri obductum alumen turrim ab incendio vindicauit, non ab æstu tamen. Pari modo amuleta proposita tuebuntur fortè ab ebrietate hominem, non tamen ab infesta dyscra-

sia aliqua, non à quacunque facultatum functionumq; perturbatione & motu. Quamobrem conueniente vitę regula, tanquam adscititijs copijs debiles amuletorum vires fulciendæ.

DIÆTA EBRIETATIS *prophylactica.*

CAPVT LVII.

QVanquam historiographo naturali adulationis vel ignorantiæ nomine suspectus videtur Asclepiades, quod sola diætetica methodo morborũ omnium curationem susciperet; siue præsidij suauitate & facilitate blandiri contenderet, seu aliarum Therapiæ partium Chirurgiæ scilicet & Pharmaciæ ignorantia, vel, quod perinde ferè est, contemptu id faceret. Celso nihilominus probatur, vt qui blandam curandi rationem inuexerit, & minimè ingratam simulque salutarem. Chirurgiam si lubet & Pharmaciam cum diæta conferamus, Asclepiadi mox volentes fortè subscribemus. Afflictionem

afflicto, hoc eſt, acerbiſſimos dolores frequẽter mouet Chirurgica operatio, imò & aſſiſtentibus horrorem, & Chirurgo metum, addo & quandoq; ignominiam. Palato plurimum diſplicent pharmaca, ſtomachum vellicant, nauſeam & faſtidium inuehunt, tormina concitant & immanes cruciatus, ſoli familiari diætæ ſaporis ineſt gratia, vis amica ventriculo, viſceribus omnibus toti in vniuerſum corpori benefica, ſe ſola plerumque ſufficiens ad affectus grauiores: Cæteræ vix in leuiorib⁹ ſine diæta tutæ, in grauioribus etiam funeſtæ. Mutuo tamen omnes adminiculo indigent ad perfectam curationem. Nobis, qui in præcautione, & in epulis verſamur, ſatis illa fortaſſè fuerit ad noſtram intentionem.

Optimum condimentum cibi fames, potionis ſitis aiebat Socrates; vtrumque non tantum pro condimento. quã-tum pro ebrietatis prophylactico commendat Plutarchus. Quàm auidè cibũ potumque excipit fame & ſiti preſſus ventriculus! quàm arctè complectitur! quàm promptè alterat, coquit, digerit!

quàm validè vini robur infringit, vapores dissipat aut coercet! Pleno ventriculo vinum supernatat, coctionem peruertit, cruditatum prouentum ingeminat, fumis caput obruit, summo non accelerandæ solùm ebrietatis, sed grauissimæ inducendæ ægritudinis periculo. Ea porrò cuique ad congressum potorium hora cõuenientior, qua ad potum solet esse paratior. Qui omnium sunt horarum (vt est in prouerbio) & affecti æqualiter in prandio & cœna, cœnæ potiùs quàm prandij faciant delectum. Somno (qui noctu quàm interdiu pacatior) ebrietatis mulcentur symptomata, crapula coquitur ac euincitur, tenebris turpitudo tegitur. Sed hoc ad curationem potiùs quàm ad præcautionem. Ergo ad rem: si quis violentior præcesserit corporis animique motus, ira maximè, reprimendus æstus, perturbatio remouenda, cerebri si quis infestet dolor leniendus antequam ad compotationem accesseris: rationem in problematis audiuimus. Si minùs tamen aut per tempestatem, aut per conuiuas prouidere

liceat(neque enim æſtate citò defer-
buerit calor, neque appoſitis iam fer-
culis fuerit inducijs locus) primo hau-
ſtu largus frigidæ ſcyphus ebibendus,
aut, ſi neque iſtud licet frigida largiter
diluendum vinum, vt primo ſtatim oc-
curſu, repreſſo hepatis & venarum fer-
uore, vaporibus fomes flabellumque
ſubtrahantur. At præſtat pacato quie-
toque animo & corpore ad conuiuium
accedere, tum priuſquam accumbas ali-
quo te prophylactico præmunire. In
quem vſum hæc quæ ſequitur compo-
ſitio, nam de ſimplicibus tantùm egi-
mus in præcedentibus.

℞. Amigdalor. amaror. integrorum,
Nucleorum perſiccorũ an. num. 20.
Sem: caulium rubrorum.
Raphani an. vnc. ſem.
Sem: citoniorum
Plantaginis
Verbenæ maioris an. drach. 2.

Ducantur omnia ſimul in mortario,
hyeme quidem cum vino abſynthite:
æſtate cum ſyrupo mirthino vel ſucco
granatorum. Tum adde;

Raſuræ cornu cerui.

Rasuræ eboris an. drach. ʒ.

Redigantur omnia simul in formam opiatæ, cuius dosis ad drach. ʒ. aut vn. ſ. paulò antè pastum. Huius opiatæ vices supplebit sequens puluis.

℞. Rasuræ cornu cerui
Seminis rafani
Caulium rubrorum
Verbenæ maioris an. vnc. sem.
Myrtillorum
Sem. coriandri præparati
Comarum absinthij sicci an. drach. 1.
Coralli rubri
Santali rubri an. drachm. 1.

Redigãtur omnia in pollinẽ, sumantur paulò antè pastũ ad drach. 1. aut drach. 1. sem. addendo sacchari quantum voles ad saporis gratiã. His munitus præsidijs in arenam descende, non tam aggrediendi animo, quàm innocuè obsistẽdi, sensim progredere à minimis exorsus, ita amicis suis consulebat Socrates. Maiuscula potoria vẽtriculum vacuum grauiter feriunt, rationem ex nostris problematis repete, ni tuo dispendio mauis experiri quod plerique suo detrimento confirmarunt. Non aliã cau-

ſam vino repente captos olim Macedonas probabiliter credunt nonnulli, quam quod vaſtos crateres prima ſtatim menſa abſorberent. Noſtra hac ætate noſtri Macedonum morem ſequuti multo citius inebriantur quàm minutim ſorbillantes Germani. Interim ſufficienti cibo ſitim prouoces, dapibus tanquam ſepimento quodã viam temeto præclude, ne protinus nullo obſiſtente viribus integris in hepar inſiliat ſingulos hauſtus cruſta panis quaſi ſigillo obducito, ne promiſcuè ac inordinatè fercula quæcunque attingito, modum delectumque in dapibus & obſonijs ſeruato, quæ in caput inuolant, quæ ventriculum ſubuertunt ne guſtato. A carnibus, ac edulijs præpinguibus abſtineto : Itemque à lacte, ab oliuis, Dactylis, allijs, cæpis, aromaticis omnibus, alijſque id genus. Placet cõſilium Arnoldi de Villa-noua, ſolida, viſcida, & craſſa imperantis. Placent ſalſa, nitroſa, toſta, quæ Empyreuma redolent, & ſi quæ ex Alexipharmacorum præfatorum penu depromuntur ad ordinarias menſas, qualia raphani,

& caules. Prouidã naturæ ſagacitatem Plinius admiratur in fraxino, qui prius floreſcit quàm è latibulis prodeant ſerpentes, neque antè deponit folia quàm illi ſua latibula repetant, ita tempeſtiuè fraxini natura ſe ſe vſibus accõmodat. Idem in raphano & braſſica demirandũ: nos vt horũ altero ſemper indigemus, ſic alterutro nunquam caremus. Prima vtrumque menſa offerimus ſolertem naturæ prouidentiam imitati. Quamobrem minimè recipiẽda in rem noſtrã Dioſcoridis ſentẽtia raphanum vltima menſa offerentis: Nullus tum raphani vſus niſi vt ingeſtorum ſarcinam vomitione ſubleuem⁹. Caules apponuntur crudi vel elixi, in acetarijs aut iuſculis, vtroque modo iuuant, at primũ eorum ius maximè, puta cùm tantiſper ebullierint. Si non ſatis cumulatè noſtro intento ſatisfacient quæ protulimus recurrẽdum in progreſſu ad amigdala amara, Medici illius exemplo, de quo facta paulò antè commemoratio, vel ad nucleos Perſicos. Veteres ad extinguendum vini feruorem, & halitus cohibendos atque temperandos, vlti-

ma mensa lactucam esitabant, quam nos prima, ad proritandum appetitum. Obsoleuit iam inde ab ætate Martialis illa priscorum consuetudo, vnde orta ipsi occasio perquirendi.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorũ
Dic mihi cur nostras inchoet illa dapes.

Cui nos aliàs responsum dedimus hoc disticho.

Ætas docta famẽ, & lõgos ferre acida soles
Nocte vigil somnos poscit, at ista gulam.

Cauendum hoc tempore ne præter communem morem lactucam pleno iam ventre deuorentes, proritandæ gulæ plus æquo videamur addicti. Lactucæ substituantur poma siue acida, siue dulcia; vtraque rident compotantium palato, crapulæ obsistunt, neque vini fastidium inferunt. Pomis delectabatur Philippus rex Macedonum, & à Philippo Alexander, ambo vino deditissimi. Alij mespillis, piris adstringentibus, malis citonijs & his similibus, quæ nõ improbamus: sua enim adstrictione ventriculi os roborant fumorumque ascensum inhibent ac repellunt. Hæc de Esculentis

De vinis in ſequentibus agem⁹, quorum varietatem fugito: ſi varia exhibeantur, generoſis debiliora præmittito. Ex inanito, vel odorato vaſe ne potato, quale ex nuce Indica concinnatur aut Iunipero. Quęcunque potanti negotium faceſſunt potoria ſuſpecta ſunto. Infringi ſibi vim bibendi ſentit, quiſquis ſibi vim in bibendo facit. Quorſum verò à vino vim in bibendo patiamur, cùm ab epoto tantas ſtrages incurramus? Si qua tandem à poculis impreſſa labes, coronidis loco aquæ exiguum ſuperbibendum; hoc enim modo (inquit Hippocrates) vini potentia caput mentemque minùs tentabit. Sed de comprimendo vino lata ſententia eſt, priuſquam de eiuſdem facultate inita ſit deliberatio, de qua in præſentia conſulendum.

DE VINIS PLVS MINVSVE *inebriantibus.*

CAPVT LVIII.

NEmo eſt qui neſciat vina, quãtùm colore & ſapore inter ſe diſcre-

pant, tantùm calore & potentia diſcrepare. Quæ ex vuis nigris exprimi diximus (inerticula vocabant vulgò) negat Plinius inebriandi vim habuiſſe, quacunque tandem copia ſumerentur. Vinum Ægiptium & præ cœteris Nardoticum (ſic dictum à palude quadam aut fonte vrbi Alexandriæ vicino) parem præcedentibus ſortiebatur facultatem. Miratur Galenus vſque adeò feruenti ſolo vinum ita debile procreari, vt refrigerando quàm calefaciendo ſit accommodatius.

E contra vinum Samagonium (de quo facta quoque antea commemoratio) ita generoſum fuit vt heminis tribus etiam dilutis, homines numero quadraginta ebrios fieri pronuntiauit Ariſtoteles. Vini Maronei vim haud inferiorem fuiſſe manifeſtè colligitur ex Homeri Odyſſæa, idque duobus argumentis. Primum eſt quod viginti aquæ partibus deberet temperari quò potui aptum euaderet.

Τὸν δ' ὅτε πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ἐρυθρὸν
Εὖ δέπας ἐμπλήσας, ὕδατος ἀνὰ ἔικοσι μέτρα
χεῦ.

Hoc quoties vinum biberent gratumque rubrumque
Vini vni pateræ bis denas miscuit vndæ.

Alterũ quod triplici haustu vastum illum Cyclopem potuerit euertere.

Τρὶς μὲν ἔδωκα φέρων, τρὶς δ' ἐκπιεν ἀφραδίῃσιν.

Ter vinũ infudi, ter craterẽ ebibit amens. ait Vlysses. Mox à tertio isto potu.

Κύκλωπα περὶ φρένας ἤλυθεν οἶνος
Η καὶ ἀνακλινθεὶς πέσεν ὕπτιος αὐτὰρ ἔπειτα
Κεῖτ' ἀποδοχμώσας παχὺν αὐχένα κὰδ δέ μιν ὕπνος
Ηρει πανδαμάτωρ φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος
Ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι ὁ δ' ἐρεύγετο οἰνοβαρείων

Cyclopis mentem vinum occupat ardens:
Illico procumbens resupino concidit ore,
Ceruicemq; iacet crassam reflexus, & alto
Sopitur somno, ruit imo è gutture vinum
Et frustra humanæ carnis, dãt ilia ructus.

Vides ab exigua vini quãtitate insignia grauissimæ ebrietatis symptomata, mẽtem occupatam, casum, somnum, vomitum, eructationes in corpore Titanum magnitudinem multis partibus excedente.

Καὶ γὰρ θαῦμ' ἐτέτυκτο πελώριον, οὐδὲ ἐώκει

Ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
Ὑψηλῶν ὀρέων ὅτε φαίνεται οἷον ἀπ' ἄλλων
Monſtrum erat horrendum, non illi corporis artus
Humani, non effigies; nam vertice ſolus
Æquabat magni ſyluoſa cacumina mõtis

Hyperbolica iſta Polyphemi deſcriptio, priori fortaſsè narrationi fidem detraheret, niſi ſcriptum reperiremus in Plinio Mutianum Triconſulem (qui inter nouiſſimos de ea materia cõſcripſerat) dicere ſolitũ vidiſſe ſe ſua etiamnũ ætate vini Maronæi ſextario vni octo aquæ affundi: Vina noſtra robore priora illa longè poſt ſe relinquũt; à poſterioribus magno ſuperantur interuallo. Conſultiùs omninò futurum vt illis omni ex parte reſpõderẽt potiùs quàm ad iſta tantillum accederent. Nam & popinonibus ebrietatis tædia, & nobis Prophylactica comparandi laborem adimerent. At vereor vt conſtitutis à natura terminis continere ſe ſe gula luxuſque potuiſſent, innocentem vini naturam mox arte malefica peruertiſſent, & quemadmodũ arte comparata aquę vis fuit ad crapulam efficax

omni licet calore ſit natura ſua deſtituta, ſic neque vino ars defuiſſet, imò verò non defuit multa excogitata, plurima inueniuntur de nouo, non pauca in dolium intruduntur & in dolum quibus à qualitate naturali vina in alienam traducuntur: ars itaque nobis arte detegenda, diligens adhibenda cautio nec labem incurramus.

Docet Plutarchus variam vini miſcellam prompte' ebrietatem parere; rem probat ducto ab ætatis ſuæ popinonibus argumento, qui à vinis mixtis curioſe' abſtinebant. Non minus cautè gerere nos hoc tempore debemus in illis deuitãdis quæ ex condimentis conſtãt cerebro infeſtiſſimis, quorum nonnulla à priſco illo æuo. Veteres enim gypſo, cineribus, calce, aqua marina, argilla, marmoreo puluere, reſina, pice, & pleriſque aliis vina ſua condiebant. Horum quædam ablıibebantur ad ſaporis gratiam, alia ad vini robur, nonnulla ad conſeruationem. Miſcellarum id genus anteà meminimus, poſtulat nihilominùs præſentis inſtituti ratio, vt eas curſim in examen reuocemus, quæ

quæ cerebro magis periculoſæ ſunt & funeſtæ.

DE VINIS, GYPSO, RESINA, *pice, calce, alteratis.*

CAPVT LIX.

ADmirationem mouet gypſi cum vino permiſtio, mouet ad perquirendam cauſam; Quam aliam non inuenio niſi vel ad conciliandam ſaporis ſuauitatem, vel ad virtutem Alexicacā vino conferendam. Ad priorem vſum illa ab Africanis referebatur, & à quibuſdam inſularibus: ad poſteriorem, à modicis illi vini aſperitatem gypſi additione leniebant: Iſti hanc ipſam miſcellam in amuletorum genere collocabant. Ego venenis potiùs annumerandam cenſeo, nam cerebro aduerſa eſt, ſtomacho, pectori, addo & vitæ perniciosa & planè exitialis. Caius Proculus Auguſti familiaris intimus atrocis ventriculi cruciatus impatiens eius potione ſibi mortem conſciuit. Si vrgeas in contrarium & cōtendas à tantilla gyp-

ſi portione quanta vino indebatur, im-primi qualitatem veneficã haud poſſe, imo & venenum exuſtione corrigi ac edomari, Dioſcoridem proferam & Athenæum ambos antiquum illud inuentum vt periculoſum damnantes. Dioſcorides quidem gypſeum vinum neruis infeſtum aſſerit, capitis ardorem & grauitatem parere, veſicæ moleſtiam inferre. Athenæus verò Eucadium vinum & Zanthinum reijcit vt pote capiti grauiſſimè infenſum propter admiſtionem gypſi.

Permiſcebantur quoque vino pix aut reſina minore vitæ diſpendio, cerebri tamen offenſione non leui: quanquam de eius facultate non ſatis conuenit inter antiquos vt neque de mixtionis cauſa. Ad cauſam quod attinet, ſunt qui gratiſſima Romanis vina Burgundica fuiſſe ſcribunt, & Vienenſia in Delphinatu, & Albigenſia quod neſcio quid Piceum ſpirarent: Inde occaſionem ortam vina pice & reſina condiendi. Alij ad retundendum vini robur inductum id condimentum putant: Quidam potiùs ad augendum. Galenus ad

vini conſeruationem ne aceſceret. Ita Galatæ vina ſua præ cœli ſolique frigore immatura à corruptione vindicabant; Circa virtutem varius eſt Plinius. Nunc à reſina & pice infringi vinum ac eneruari docet, ac eiuſdem ad ſuperiora impetum prohiberi. Alias ſui velut immemor, inquit, ab ijſdem dolores capitis, vertigines ebrietatem excitari. Et hæc Dioſcoridis ſententia eſt quam veterum experientia confirmat, & in quam ferimur. De picato certè dubitari non poteſt cùm experimento quotidiano conſtet vina pellibus hircinis aſſeruata, aut quibuſcunque tandem vaſis pice obductis graui odore cerebrum, ſapore ingrato ſtomachum vehementer percellere.

De vino calcis aſperſione alterato nil attinet dicere. Norunt recentiores quàm immaniter caput afficiat. Frequens tamen illius apud nos vſus ex abuſu, vinitorum iſta fraus, qui grauiore malitia vini malitiam tegunt. Alias miſcellas luxus & auaritia inuexere: nonnullos videas aqua vitæ vinum perfundere, alios ſinapi ſemen, ſulphur,

columbinum ſtercus, omnis generis acria, pungētia, feruida cum vino confundere, quò palatum titillet & feriat. Sed adſcita facultate extranea perit naturæ bonitas, dum faucibus blanditur ars, lenocinij ſpecie corporis naturam deſtruit. Lucri expletur fames ſummo ventriculi faſtidio atque detrimento. Quicunque tandem exitus cedit in hominis ruinam, licet fortaſſè præter agentis mentē. Verùm reperiuntur nonnulli (magno meo dolore loquor) qui deliberato conſilio in ſocios conſpirāt, & quos aperto marte ſuperare poculis æqualibus ſe poſſe diffidunt, clam factitijs vinis turbant, mox proſtratos ebrietati dant in prædam, illorū exempla quædam ſequenti capite proferemus in cautelam.

DE ALIIS QVIBVSDAM VInis variè permixtis.

CAPVT LX.

CVlpanda quorundam mollities moſcum & ambram ad luxum &

luxuriam inuexit, neque certè cõmune multorum malum tam effeminatum & exitialẽ abusum à mensis ablegauit. An vllus est qui nesciat acutis id genus odoribus incẽdi cerebrum, sensus opprimi, agitari spiritus, distendi venas, vniuersũ caput vehemẽter distorqueri? Eoque vehementiùs quò ad suscipiendas iniurias inuenitur paratiùs. At quo tempore grauius ab odoratis caput offenditur quàm pleno ventre? Maximè cum illis pro vehiculo vinum additur, cuius halitibus tanquam aliis quibusdam sustentata nixu grauiore efferũtur. Non desunt qui Styracem aut Xyloaloen vino immisceant, vt potentiùs inebriet. Ac prætereà ricini semen imo & in canum auriculis stabulantes sordes. Alij etiam ad Mandragoram veniunt, lethali planè inuento quibusdam vinum coctum alteri permistum satis ad eandẽ intẽtionẽ videtur. Mihi experientia compertum est vino maceratos malorum aureorum cortices, itemque ormini semina aut folia infusa vino, vel ceruisia incocta vim ac in parte habere non parùm efficacem. Sed erroneum

eſtquod de ſalis vino immixti efficacia in ebrietate procreanda plerique autumant.

Mirum quod de cyclamino iactitãt, nempe cyclamini radicem ſumma vi pollere ad ebrietatem inuehendam, eius proinde viciniam ferre caules non poſſe.

Sexcenta ſuppetunt quibus haud inferiorem ad temulentiam procurandam facultatem ineſſe contendũt probati ſcriptores, & vulgares Empirici, ſingula ad amuſſim proſequi ſuperuacaneum iudicamus. Dictum ſapienti ſat eſt. Concludat ex præfatis lector ſobrietatis ſtudioſus, à turbidis, confuſiſque vinis, & præter naturam odoratis ſibi curioſè cauendum, quacunque tandem arte componantur: ſuſpecta eſſe debent aromatica omnia, & quæ linguam acriùs pungunt atque vellicãt, aut igneum palato feruorẽ imprimũt.

Hac ars deluditur arte.

Hac adhibita cautione abeunt in auctorum deriſum maleficæ Morionum captiones. Supereſt vt de naturalibus dicamus.

DE VINIS NATVRALIBVS *plus minusue efficacibus ad ebrietatem inducendam.*

CAPVT LXI.

OMnes vini differentias in tanta varietate, lubet ad quinq; capita reuocare: ad colorem, saporem, odorem, cõsistentiam, & virtutem. Horum singula in proprias species partimur. Coloris quidem ratione in alba, rubella, fulua, flaua, nigra & similia. Saporis ratione in dulcia, acria, amara, austera, acida. Si odorem spectes, quædã odorata dicũtur, alia odoris expertia: quædam boni, alia praui odoris. Si consistentiam, tenuia sunt aut crassa, aut mediocria. Denique si virtutem, potentia, debilia vel inter ista media. Postremas hasce differentias præcipuè inquirimus. Vina potentia siue generosa corpus vniuersum promptè ac potenter calefaciunt, agitant, turbant sed caput maximè, cerebrum implent humoribus & vaporibus feruidis, febrem

quandoque accendunt & citò ac facilè ebrietatem procreant. Debilia vix vllũ manifeſtum calorem impertiunt, aut ſanè debilem, nullam agitationem vehementem excitant, nullam perturbationem, febrem nunquam, ebrietatem quàm rariſſimè. Media, medio modo ſe habent inter extrema.

Nunc ad rem: difficultas nulla eſt quin viro frugali, & crapulam fugienti vini debilis potior ſit delectus, aut eius (ſi fieri poteſt) quod debili ſit proximũ. At quibus tandem indicijs? Hoc opus hic labor: non enim ita immediatè pendet à ſenſibus huiuſmodi cognitio, vt coloris, ſaporis, odoris, & conſiſtentiæ: A poſteriori tantummodò illis innoteſcit, qui minus exquiſito ſenſu ſunt præditi, nempe ab affectibus ſiue alterationibus quas à repetita potione perſentiunt, & à iam contracta ebrietate. Séra ad præcautionem iſta notio, inueſtigemus tutiorem. A ſenſibus ijſdem petenda illa eſt à quibus cæterarũ differentiarum notionẽ haurimus, illæ ipſæ differentiæ pro medio interponẽdæ. Vina generoſa Galeno dicuntur

vinosa, vt debilia, aquea: vinosa nominantur vt pote quæ vini naturam verè præ se ferunt: Aquea è contrario quoniam aquæ sortiuntur qualitates. Quo itaque longiùs, à vini odore, sapore, colore, & consistentia recesserint, & ad qualitates aqueas propiùs accesserint eò debiliora vina sunt æstimanda. Talia censeri debent alba, pellucida, tenuia, quæ nullum palato calorem imprimunt, saporem non alium fere' quàm aqueum aut acidulum, siue pota, seu diutiùs ore detenta, aut tantillæ aquæ aspersione euadunt insipida ὀλιγοφόρα proinde Græcis vocata, nec vllum aut minime' effatu dignum spirant odorem. Id genus vina, neque calore feruidiori hepati aut capiti molesta sunt, vt vinosa: neque vt aqua ventriculo frigidiori suo frigore infesta cruditatum prouentum aggerunt. Habentur vbique terrarum summa Dei prouidentia (si Galeno credimus) & promiscue' pullulant in frigido & calidiore solo, quanquam consentaneum videtur vt in Septentrionalibus crescant potiùs quàm in sitis ad meri-

diem plagis.

His notis facillimum arbitror vina debilia internosse, contrarijs contraria distinxisse non arduum fuerit si mẽtem adhibebim⁹. Offerantur (exempli causa) vina Græca, Hispanica, vel quo alio feruidiore cœlo nata, fulua aut optimè colorata, micantia, odorata, acria, cõsistentiæ laudabilis, mox vt ingerũtur linguæ, palato, ventriculo caloris manifestè sensum inferunt, quis non illicò vinosa reputabit? medio modo se habent mediocria, eius tamen extremi notas exhibent, cuius proximè sequuntur naturam. Lubet hoc loco ad intelligentiam clariorem trium quæstionum solutionem breuibus proponere. Prima erit.

An mustum vel vinum nouum fortiùs quàm vetus inebriet? Altera. An dulce potiùs quàm alterius saporis. Tertia. An album promptiùs quàm rubrum.

AN MVSTVM VEL VInum nouum vehementiùs inebriet quàm vetus.

CAPVT LXII.

AFfirmatiuam sectantur partem inter Philosophos haud vulgares, neque vulgaribus rationibus persuasi, cùm enim ebrietas sit violenta quædã principum cerebri facultatum perturbatio quam vaporum iusultus excitant, à quo vehementior illarum facultatum perturbatio, ab eodem potentior ebrietatis fomes. Et cõtra à quo fomes potentior, ab eodem fit perturbatio vehementior. Vtrumque deprehẽditur in musto fortiùs quàm in vino veteri. Nam si fomitem spectemus, tam copiosos, tam feruidos halitus mustum exspirat, vt solo etiam inebriet inspiratu. Ardori attestatur feruor seu ebullitio summi perpetuò caloris index, adde quod musti calori naturali & proprio adscititius accedit, solis solique calore conquisitus, qui in veteri vino

pridem euanuit. Denique vinum dulce austero præualet ad ebrietatem procurandam: at in nullo vino dulcedo maior quàm in musto reperietur, ergo neque potentior ebrietatis fomes.

Quanta verò à musto oriatur perturbatio nemo ignorat qui prælum, dum id exprimitur adierit, odore solo nares ita grauiter ferit, cerebrum sic violenter occupat, vt mox atroces capitis dolores nonnullis inferat, alios alto sopore demersos, ac velut emortuos iacentes, sensus motusque reddat penitùs expertes: quæ de musto dicuntur, eadem ferè vino nouo licet applicare, vt par vtriusque videatur ratio.

Nituntur in contrarium alij validis rationibus suffulti. Omnis coctio (inquiunt) depuratioque & partium Heterogenearum segregatio vni calori referuntur accepta, cùm itaque vinum vetus longa perfectaque coctione crudas aqueasque partes dissiparit, crassas terreasque deposuerit (ambarum frigore vini spiritus efferuescens retunditur ac hebescit) demum subtracta fece, inclaruerit, musto longè cali-

dius & generoſius euadat neceſſe eſt. Atque vt augeſcit in dies calor, in dies quoque ſenſibus fit euidentior. Muſti dulcedinem conſequitur vini depurati ſuauitas caloris ſoboles ſuauitatem leuis quædam acrimonia, acrimoniam amaror. Saporum mutatione nouus additur caloris gradus. Petita à ſenſibus hæc argumẽta manifeſtè confirmantur & quotidiano eorumdem ſenſuum experimento: Nam epoto vino veteri os, lingua, palatum, ſtomachus, corpus vniuerſum protinùs incaleſcit, imò & febris quandoque accenditur, muſto epoto non item. Vnde cõcluſum à Galeno vinum vetus nouo eſſe potẽtiùs ad ebrietatẽ procreãdam.

Concludunt in contrarium ambæ ſententiæ, neque ſimul ſtare videntur poſſe, ſed adhibita diſtinctione facilè in concordiam reuocantur. Quamobrem ex ſuperioribus repetẽdum dupliciter vapores ebrietatem parere, vel ſua qualitate alterando, vel ſua copia aut ſubſtantia obſtruendo. Muſtum poſteriore modo crapulã mouet, nam vapores velut de ſuo ſinu promit ita

craſſos & copioſos, vt cerebrum vndequaque infarciant atque opprimant. Craſſitiem inducunt feculentæ partes cum muſto confuſæ, quæ vino depurato ſubſident: copiam ſuggerunt crudiores, quæ in auras longa coctione digeruntur. Si priorem modũ ſpectes, vino veteri primas ſponte mox detuleris, nam id apertè cõuincunt producta ſecundo loco argumenta. Noſtræ diſtinctioni perbellè reſpõdet experientia, multum quippe inter ſe diſcrepãt, exorta à vino nouo aut veteri ſymptomata; illa vel infarctum indicant cerebrum aut oppreſſum. Iſta calore extraneo obſeſſum atque concuſſum. Muſtum titubantes reddit ebriatos, ſtupidos: tardos, ad oẽs actiones, vertiginoſos, ſomnolentos; vinum vetus, agiles, promptos, vigiles, in bilem pronos, rubicũdos facie, procaces & garrulos, hi omnes caloris exuperantis effectus: priores, frigoris potiùs, aut certè oppreſſionis. Et hæc ſolutio nobis gradus eſt ad ſequentem quæſtionem.

AN VINVM DVLCE POtentiùs ebrietatem inducat, quàm alio ſapore præditum.

CAPVT LXIII.

QVi ita eſſe credunt experientiam in primis proferunt, mox progrediuntur ad rationes. Muſtum quidẽ in ebrietate procreanda validum eſſe demonſtrauimus, non aliam ob cauſam (vt iſti aſſerunt) quàm propter dulcedinem. Addunt ex Galeno vinum dulce perpetuò craſſum eſſe, ac bellè coloratum, ab vtroque ſi non caloris exceſſum, inſignem ſaltem vaporum craſſiorum prouentum inferunt, quibus facilè caput oppetitur & oppletur. Ideo his ambabus qualitatibus inſtructum, vinum Maronæum fuiſſe ab Homero, cuius tanta vis erat, vt triplici hauſtu Polyphemum inebriarit.

μελιηδέα πίνοιεν οἶνον ἐρυθρὸν
biberent vinum perdulce rubrumq́;
(inquit)

Et alibi Hectorem introducit, vinum

dulce recuſantem ne ebrietatem incurreret, non enim à vino debilitas & obliuio ſine ebrietate inducuntur, quæ duo incommoda à melliti vini potione pertimeſcere ſe Hector profitetur his verbis.

μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα πότνια μήτηρ,
μή μ' ἀπογυιώσῃς μένεος δ' ἀλκῆς τε λάθωμαι.

Vina mihi (veneranda parens) ne mellea praebe,
Ne memori virtus animo collapſa fatiſcat.

Qui in contrarium litigant virorum experientium calculo & ipſo ſenſus iudicio probant alterius ſaporis vina dulcibus calore prępollere, vnde intentum ſe aſſequutos probant, cùm ad crapulã mouendam vnicus calor præ cæteris qualitatibus habeatur efficax. Minùs calida eſſe dulcia colligunt ex Plinio, qui vini calorem omnem ſola inquit ebullitione coctioneq; comparari: Cùm itaque prohibita coctione dulcedo perſeueret, ab imminuto calore procedat neceſſe eſt. Ita eſſe confirmant experimento Græcorum, qui muſtum dolijs exceptum in aqua frigidiſſima ſeruabãt vſque ad hybernum ſolſtitium, ne dul-

cedo feruore deperiret. Iam quemadmodum dulcedo feruore deperditur, ita calore feruor concitatur, vt manifestum sit vina quæcunque dulcia, eadem esse frigidiora. Feruorem calore concitari docent vina in calidis orta regionibus, quæ promptè ac diu multumque efferuescunt. Quæ in frigidis nascuntur, ægrè coquuntur, tardè ebulliunt, & vix sine aliena ope. Tantùm verò abest vt fateãtur à dulcedine promoueri ebrietatem, vt etiam doceant ex antiquorum scriptis musti cum alio vino permistione illam remoueri. Imò verò melli intinctum panem olim à medicis præscriptum inuenimus ad crapulam arcendam, non obscuro argumento vini robur à dulcedine obtundi: Vbi Homerus μελιηδέα aut μελίφρονα vinum vocat, hoc epitheto saporis gratiam commendat; nam dulcia aut mellita ea solent Poëtæ appellare, quæ palato arrident cuiuscunque sint saporis. Petitum à crassitie argumentum, refellunt auctoritate Plinij, qui palam profitetur vina tenuia promptiùs in caput in-

filire. Suam ſententiam Hippocratis ſuffragio pro ſigillo muniunt: hæc ipſiſſima diuini ſenis verba, *vinum dulce vinoſo minùs caput grauat, minuſque mentẽ ferit.* Vina enim dulcia (inquit Galenus) quò magis à vehementi caliditate abſunt, eò minùs cùm caput grauant, tum mentem lædunt. Si quæ igitur inſignis à vino dulci procedit læſio ad vaporum craſſitiem præcipuè referenda, vti de muſto diximus. Sequitur tertia quæſtio quam paucis perſtringamus.

AN VINVM ALBVM *promptiùs inebriet quàm rubrum.*

CAPVT LXIIII.

VEtat breuitatis ſtudium quò minùs ea proferamus, quæ pro vino albo & rubro obiici vtrinque poſſunt. Illud pro confeſſo ſupponendum, nullam vim à colore conferri, totum à vini robore negotium pendere. Reperiuntur ſub vtroque colore generoſa, re-

periuntur & debilia, quamobrem de colore ſimpliciter accipi non debet hæc quæſtio, niſi cætera ponantur paria. Si enim debile album cum rubro potenti compares, dubium nullum eſt quin penes rubrum victoria ſit futura. Et contra ſi rubrum imbecillum, cum albo generoſo, huic palma erit deferenda. Sed ponantur æqualia, ambo generoſa;an quia iſtud colore aqueum eſt, erit & virtute? Imouerò promptiùs potentem effectum exeret. Quid quod facillimé permeat qua tenuitate eſt partium, & citò per vrinas excernitur? Prompta excretione retardari ebrietatem aut ex toto prohiberi docuimus cùm de amuletis ageremus. Non igitur tam expeditè, ac violenter cerebrum inuadet quàm rubrum. Non tam violenter fateor, neque tanto tempore occupabit, ſed prõptiùs. Citò incaleſcit, citò ad actum deducitur, citò effumat, & ſurſum vapores emittit, quocunque tandem ſubeat promptè operatur, ſatis ipſi eſt tantilla in ventriculo, in hepate, in venis, in cerebro ad actionem mora. Rubro maior eſt reſiſtentia, diuturnior

actio: vt tardiùs alterationem ſubit, ita & imprimit: agit eò diutiùs, quò diutiùs in corpore detinetur. Liberum ſubſtantia craſſior non patitur effluxum: non promptè excitantur, non promptè efferuntur vapores craſſiores, ſed neque promptè diſſipantur.

His iam ita declaratis, quoniam non vbique in promptu habentur vina debilia, qualia ad impediendam crapulam imperauimus, ne quid à nobis deſideretur ad integram præcautionem, declarandum qua tandem induſtria comparentur.

QVANAM ARTE VINVM *minùs efficax euadat ad ebrietatem?*

CAPVT LXV.

NVllum medicamẽtum vſque adeò ſimplex quin ex diuerſis partibus ſit compoſitum, nullum adeò ſimplicibus qualitatibus donatum, quin contrarios & inter ſe pugnantes effectus plerumque proferat, non propria

tantùm vi & natura, ſed ex varia quoque diſpoſitione ſubiecti. Ceram & limum ignea vis æqualiter attingat, ceram liquabit aut emolliet, limum compinget ac indurabit, eadem ligno & ferro applicetur pari & conuenienti diſtãtia, ardebit lignum, ferrum dumtaxat incaleſcet, hinc orta medicis intentio medicamenta varie praeparandi atque permiſcendi.

Infeſtæ medicamentorum partes debita præparatione eximuntur, permiſtione corriguntur: vtriuſque beneficio, redeunt in naturæ gratiã & ſubſidium prauæ & funeſtæ qualitates, ſi quæ à medio receſſere longiùs, ad iuſtam temperiem reuocantur. Quædam de nouo adſciſcuntur quibus veluti præuiis cæteræ ad diſtantiſſima feruntur, & optata virtus quaquauerſum permeans, ad ſingulares quoſdam effectus, ad determinatas partes ad peculiares naturas limitatur. Viperæ venenum ſeptem aut octo horis conficit hominem: permiſtione, præparationeq; adhibita pro remedio vſurpatur. Flagris excipitur vipera dum fel

exhalet, & vir⁹ omne in extrema deponat, mox extrema ambo cauda, caputque resecãtur, exenteratur vẽter, quod reliquum est aqua incoquitur, additis oleo, porrho, aneto & sale, trochisci in medicos vsus concinnantur. Furit vinum & ferit incautos, viperæ in morem. Tundatur obtundaturque dum virus euomat, oleo & sale condiatur. Græcorum prudentiam commendat Anacharsis, quod foris relicto carbonum fumo solum ignem intra priuatos parietes asportarent. Idem nobis in vini vsu contendendum, nempe ne intro subeant eius vapores, quod in eo beneficum est atque innocens sublato ebrietatis metu, nulla mentis offensione admittamus. In hoc versabimur in præsenti, ab Hippocratis documento exorsi à quo omnis boni principium in medica disciplina.

Vinum (inquit Hippocrates aut Polibus eius discipulus) longè debilius euadit, si optimè diluatur, si percoletur, si refrigeretur. Ad primum quod attinet, antiquissimum est inuentum, priscis nostrisque temporibus vsitatis-

ſimum, gratiſſimum, facillimum, aptiſſimum vino retundendo, ex ipſis naturæ penetralibus (vt ita loquar) erutum. Non aliud ſibi volunt Mythologici præcitato à nobis commento, cùm Bacchum finguntadhuc tenellum, fulmine icta Semele & in cineres redacta, Nympharum beneficio ab incendio ereptum, elotum, educatum, inde perpetuam cum Nymphis amicitiam ſic arctè contraxiſſe, vt ab earum conſuetudine minimè ſe patiatur diſtrahi, neque impunè relinquat ſi qui nexum hunc ſoluere attentarint: nam reliquas ab Empyreumate ſcintillas vibrat in eorũ caput. Vt ergò Elephantis feritas veruecis præſentia lenitur, quadrupedum inquam fortiſſim⁹ à mitiſſimo demulcetur: Pari ratione potionum omnium potẽtiſſima ab imbecillima edomatur. Admiratione dignum eſt liquores ſic inter ſe ſe contrarios, ita blandè ſe mutuo, quaſi vinculo complecti, potentiam ab impotentia ſuperari, labem omnem elui, vim beneficam aſſeruari, offenſionem prohiberi, commodo ac vtilitati nihil detrahi. Prouoco hic

ad facilem experientiam curiosos, vinum generosum aquæ offusione reddãt æquale viribus imbecilli & mero. Dilutum illud isto diutiùs seruari integrũ videbunt, hoc argumento victi medicorum nonnulli, dilutum generosum imbecilli mero præferendum putant ad sanitatis tutelam. Non alia fortè ratione moti veteres diluendi vini inuentionem dijs acceptam referebant, & inter diluendum vinum accepti beneficij memores Iouem seruatorem summa acclamatione nominabant. Sed de his postea, nunc institutum prosequamur in aquæ penuria, aut si hanc non ferat insuetus ac frigidior ventriculus, aut lingua auersetur, ad alia recurrendum.

Alterum ergo ab Hippocrate propositum est colatura: Antiqui vinum setaceo transmittebant aut manica Hippocratica vocata, vel sacco, (vt annotauit Plinius) vnde Martialis.

Cæcuba saccentur, quæque annus coxit Opimi.

Duplex collaturæ fuit intentio, vna vt ab omni fece, & aliena confusione vinũ expurgaretur

expurgaretur : Altera vt eius virtus frangeretur. Prior ad ſobrios tantùm pertinuit, poſterior ad bibulos aut infirmos. Vinum percolabant bibuli quo maiore copia ingeri ſine offenſione poſſet : percolabant infirmi ne vel minima noceret. Nobis colatura nil opus eſt ad priorem intentionem, habet noſtra ætas puriora vina, magiſque defœcata, non vt illa antiquorũ, opaca, turbida, varia extraneorum corporum, herbarum, ſuccorum, aromatum permiſtione confuſa, atque alterata. Habent nihilominùs etiam generoſa quorum infringenda vis & tollẽda ne mentem tollat: in hunc vſum apprimè contulerit ſæpè repetita colatura, vt potè quæ vini calorem externi aëris occurſu colliſioneque euocat, & attemperat, ſpiritus diſſipat, & exoluit, vnde nullus odoribus, vt nec halitibus ſuperſtes eſt fomes.

Tertium Hippocratis inuentum refrigeratio, quæ actuali qualitate potentialem vini calorem adoritur & reprimit. Quam ob cauſam cæteris boni vini dotibus & indiciis frigiditatem

annumerat Salerni ſchola hoc diſticho
Si bona vina cupis quinque hæc laudantur in ipſis
Fortia, formoſa, & fragrantia, frigida, friſca.

Frigida commendat non ad delicias (digna Apicio voluptatis commendatio, non medico) ſed ad valetudinis conſeruationem, minùs enim corpori animoque ſunt periculoſa. Norunt qui æſtuante ſirio vinum glacie, niue, aut frigidiſſima perfundunt, quàm multùm eius odori, ſapori, potentiæ depereat. Ita pluries expertus teſtor, recens etiamnum mihi experientia & memoria. Præterita æſtate cuidam conuiuio interfui lautò ſanè dapſili & ſplendido; magni vndequaque ad crapulã aculei: vrgebãt, hoſpitis beneuola & munifica liberalitas, mutua accumbentium amicitia & humanitas, abſentium recordatio, vini bonitas, condimẽta varia, ambientis calor & ſquallor, voluptas, ſitis. Quid multa? Ventum genialiter ad pocula, grauis ſcyphorum conflictus obliquè, directè, ac in gyrum: Nulla inflicta vulnera, nullæ grauitatis, nullæ

ardoris, nullæ doloris quærelæ, nulla in gressu titubatio, nulla in oculis caligo, nulla in lingua balbuties nihil in actionibus aut verbis absonum, nihil ab humana ratione alienum motus, sensus, mens, integra omnia. Rationem quæris curiose lector? Tribus integris horis vinum, sua alioqui natura generosum, alto puteo demersum perfrixerat. At longè debiliùs euadit si in glaciem concrescat, nam si quid in vino aqueum est ac terreum concretione cõpingitur, si quid tenue aëreum aut igneũ exprimitur, resoluitur. Huius effectus euidens in aceto argumentum, quod illicò vt gelu concrescit omnem vim atque acrimoniam exuit. Vehemens Apoplexia (congelationem vulgò nuncupant) si non in interitum in paralysin certè terminari solet: Pari modo congelatio vini robur penitùs adimit & corrumpit, aut magna ex parte compescit ac imminuit. Verùm in refrigerato vino remanet saporis gratia quæ bibentis palatum blandè titillat & reficit, magno stomachi æstuantis solatio: Quamobrem vtilitati simul & volup-

tati seruit hæc inuentio.

Aliæ tamen à recentioribus excogitatæ quibus sua laus est nō exigua. Quidā boraginis & buglossi flosculos vino malaxant, vinū, id singulare cardiacum putant, & cerebro innocens. Alijs pimpinellę folia sunt in quotidiano vsu. Nō pauci certò asserūt panis medullā vino infusam vini spiritus & vapores absorbere & absumere: Nam & insilientes in cerebrū, sinapi halitus naribus admotus panis promptè & potenter, ac veluti miraculo prolicit. Tota illi vis à fermento, cui attrahendi facultas valida, quo nomine phænigmis inseritur: Itaq; in fermentato pane periculum faciendum non in azimo, quibus ista non videbuntur satis, plura ex antiquis & Neotericis congerent, aut propria industria, comparabunt. Nos interim in eorum gratiam qui antiquitate potiùs quàm potionis quantitate delectantur, & diluto magis quàm mero, priscorum in vino diluendo morem contemplemur.

QVEM MODVM PRISCI TEnuerint in vino diluendo.

CAPVT LXVI.

VArias in præcedentibus vini mixtiones proposuimus quibus prisci illi variè vtebantur, & in varios vsus, quos etiam expendimus: Romani quidem & Galatæ resinam & picem cum vino confundebant, gypsum Africani, & quidam insulares: Alij calcem, Græci Argillam, pulucrem marmoreum, salem, aut aquam marinam: salis quippe aut aquæ salsę permixtione ciborum coctionem digestionemq; promoueri putabant, citari ventrem, cruditates impediri: Idque mysticè significatum enatrata à nobis de Baccho fabula, quę in mari delituisse ferunt ne in Lycurgi furentis manus incideret. Verùm talis aquæ effusionem facessimus in præsenti, nobis de dulci sermo est, cuius accuratus olim delectus fuit, & varia in diluendo vino proportio. Regibus Persarum (si historijs fides est) vnicum dum-

taxat potui destinabatur vini gen⁹,aquæ fontes septuaginta,quos nemini gustare licebat sub capitis edicto præterquam regi,& regio successori. Quãquam scribit Herodotus non aliam aquam bibisse Persarũ Reges, quàm quæ ex Choaspe fluuio hauriebatur, quæ & omnium leuissima erat, & gustu suauissima. Asseruabatur autem vasis argẽteis ad quotidianos vsus,& quadriga illi muneri addicta vehebatur quocunq; Rex procederet. Vt vt sit aquas regias Persæ aureas vocabant. At cæteris quibuscunque aquis Nilum præferebant Ægiptij ipsorum Philosophiæ ac Medicinæ principum suffragio commendatissimum, vt pote sapore gratissimum, in permeando leuem, hypochondrijs facilem, extinguendæ siti accommodatissimum, aptum nutritioni: Addunt impinguare corpora,mulieres fœcundas reddere, & faciles partus, nam & octimestres partus in Ægipto vitales esse, & vnam eandemque mulierem Ægiptiam triplici partu fœtus duodecim enixam legimus.Quam ob causam fortè Ægiptiorum Rex Philadelphus se-

eundus cum Berenicam filiam suam nuptum dedisset Antiocho Regi Siriæ, Nili aquam ad ordinarium illius potum magnis sumptibus asportandam curabat. E contrario Apis sacrificuli à Nilo prorsus abstinebant, ne oppleto & obeso supramodum corpore minus parati & agiles euaderent ad obeunda mentis munia. Non est præsentis instituti disquirere cur aquam pluuiam fluuiali prætulerint veteres, fluuialem fontanæ fontanam puteanæ: satis sit monuisse illos vt in deligendo vino curiosos, ita & in macerando admodum superstitiosos fuisse, nunc calida vsos, nunc frigida, nunc tepida.

Verùm ad quem referenda eiusmodi sit inuentio non satis constat inter historiographos. Multi Amphictionem Athæniensium regem illam à Baccho credunt accepisse, in accepti beneficij memoriam erectum ab Athæniensibus templum Baccho stanti, quoniam recti progrediuntur qui vinum diluũt, erecti firmique subsistunt, titubant è contrario plerumque vel humi procumbunt qui merum potant. Alij Staphilum Sy-

leni aut Sitheni filium auctorem nominant: nonnulli Melampum, quidã etiam fortunam, rem ita narrant. Olim cùm in aperto campo instruxissēt epulas quidam popinones, repentinus & copiosius imber ad vicina tecta inopinatos adegit, mox pacato cælo ad pocula reuersi, craterem amplum inuenerunt, in quo vini aliquid substiterat imbre deciduo repletum, miscellam gustant palato non insuauem, haustus ingeminant, craterem exhauriunt, nullo vt aliàs post pocula superstite doloris sensu, neq; iis afflicti symptomatis, quæ liberalem meri potionem assiduè ferè consequuntur. Inde diluendi vini sumpta occasio, quæ in consuetudinē abiit, & in posteros continuatione deriuauit. Facetum equidem at parum verisimile commentum: quantum ego censeo res ad iudicium potiùs quàm ad fortunam referenda. Quorsum enim ictum fulmine Bacchum recēs natum à nymphis elotum ac educatum fabulãtur Poëtæ, nisi vt doceamur Baccho inditos quosdam veluti igniculos quibus leui momento incendimur ni aquæ aspersione

alluantur? Bacchi igniculos ſenſus percipit, incendium ablutione præuenit ratio. Illos cacodæmonum nomine donarunt Mythologici quos Cobales appellabãt Bacchi ordinarios aſſeclas, inter Cobales nocentiſſimum Acratum, cui larga aquæ affuſione obſiſtebant. Qua etiam ratione moti cùm binas tantũmodo nutrices Ioui tribuiſſent Iden & Adraſtian: Iunoni vnicam Eubæam: Apollini item duas Alithian, & Chorithalian, vni Baccho plures addixerunt, Philian, Coronidẽ, Lyden, ac prætereà Septenas Hyades, in eam conſtellationem à Ioue tranſmutatas quæ in Thauri fronte emicat, in cuius exortu copioſus imbrium caſus. Tantus nympharum ad vnius Bacchi educationem concurſus largam vndarum aſperginem denotat, quibus Bacchum perfundere neceſſum eſt, vt debitam corpori præſtet alimoniam. Triplicem porrò in vini maceratione proportionem notat Plutarchus: Primam quam ſeſquialteram vocat, quæ quintam producit: Alteram quam Diapaſon, quæ octauam: Tertiam ſeſquitertiãquæ reliquarũ eſt obſcuriſſima?

In prima tres aquæ partes vini duabus affunduntur, Secunda duas aquæ continet vnam vini : Tertia tres aquæ, vini vnam. Dilutior ista est, prima meracior, vt pote quæ turbulentum Acrothoracum tonum procreat, hoc est eorum qui modum in potu excessere, non omnino tamen euaserunt ebriati. Secunda concentum musicum efficit suauissimum, quem placida comitatur quies & molestiarum obliuio. Vini potorumque varietas harum proportionum ordinem inuertit. Et quidem vt robore diuersa sunt vina diuersam quoque harmoniam efficiunt : Potoris verò non concentui palatum, sed palato concentus accommodant. Quibusdam placuit vnius aquæ partis cum vini duabus permistio : Scribit nihilominus Athenæus ranarum Architriclinos olim nuncupatos qui ea proportione vtebantur, quoniam supparem continere videbatur aquæ ad vinum portionem. Protheas in solemni nuptiarum Caxami conuiuio vastam vini pateram tantillum diluti conuiuis omnibus propinauit, singulos hortatus

vt animos liberali potione exhilararẽt. Tradunt antiqui ſcriptores Thraces, Scythas, Iudæos, Teuthonas, Gallos, Græciæ partem, aut ſemper aut vt plurimum merum bibiſſe. Eũdem morem tenuiſſe antiquiſſimos Arabas fatẽdum eſt, ſi verè proditum à Neotericis celeberrimum illum medicum Melampulach (qui vixit annos centum ſexaginta quatuor) primum omnium Orientales mero interdixiſſe. Merum Scythicam potionem appellat Anacreon, cuius erat amantiſſimus. Nam tantùm abeſt vt aquam ferret in vino, vt ne pictam quidem admitteret in vitro: Anacreontis ore loquor ſic ipſe habet.

Ποίησον

Ποτήριον ἢ κοῖλον
Ὅσον δύνῃ βάθυνον
Ποίει δὲ μοι κατ᾽ αὐτὸ
Μήτ᾽ ἄστρα, μήθ᾽ ἁμάξας
Μὴ στυγνὸν ὠρίωνα.
Τί πλειάδεσσι κἀμοί.
Τί δ᾽ ἀστέρεσσι βοώτεω.
Ποίησον ἀμπέλους μοι
Καὶ βότρυας κατ᾽ αὐτό.

Fac poculum peramplum

Quantum potes profundum.
Calata verò in illo
Nec plaustra sint, nec astra,
Nec Orion aquosus.
Quid Pleiades moramur?
Quid astra item Boœota?
Fac vineam virentem.
Cum dulcibus racemis.

Mero quoque delectabantur veteres Germani non minus quàm moderni, vt meritò quis suspicetur Germanicis aquis omnibus inesse quandam cum vino Antipathiam qualẽ aiunt in fonte quodam Tenum Insulam irrigante. Cæteræ nationes diluto magis assuetæ, merum purum, putum bibebant, aut parum ommino dilutum in genialibus conuiuijs, Æstate potissimùm ex Hesiodi præcepto, qui viginti ante canis exortum diebus, & totidem ab exortu iubet ab aquæ mixtione penitus abstinere. Inde fortasse ducta apud Italos consuetudo generosa vina cœlo æstuante offerendi, nisi qua medica malis ratione, nempe ad fructus horarios coquendos, & acetaria corrigenda quorum sunt voracissimi. Ideo vina

generosa in id tempus reseruata *Vinida meloni* vocant.

Nulla, hic nobis mentio de medicis præscriptis quæ diuersa extitère pro ætatum temporum & morborum diuersitate: nam senibus vinum meracius quàm iuuenibus indulgebant, hyeme quoque quam æstate: merum in quibusdã morbis imperabant, vt in appetentia Canina: λοιμὸν θώρηξις λύει famem Thorexis soluit, inquit Hippocrates, ac præstereà dolores oculorũ à frigida causa excitatos & diuturnæ ophtalmię reliquias dissipat. Præscribebant quandoque paribus aquæ partibus temperatum ad anxietates, oscitationes, horrores. Dilutissimũ præbebant in summa capitis debilitate ne vaporibus offenderet. Medicas hasce regulas aspernãtur sani, nullas admittunt popinones, qui medicè viuit miserè viuit, inquiũt. Etsi verò prima illa proportio sesquitertia, quam Acrothoracum propriam esse vult Plutarchus admodum videtur sobria, sufficiens nihilominus olim fuit ad ebrietatem procreandam: tantò vinum antiquitus pollebat robore, (vt

antea docuimus) cui plurimum siue cœli inclementia, seu soli ignauia, tot iam annis indesinenter exucti, siue cultorum incuria procedente ætate detraxit. Atque vt sensim detractum vini robori ita & aquæ quantitati, ventum hac tempestate ad extrema: quàm rarissimos enim inuenias Temeto addictos qui vllam aquæ cum vino mixtionem ferant, vt nil mirum sit nostro non minus quàm prisco æuo fieri à Temeto in temulentiam progressum. Quamobrem cùm nihil aut parũ omnino præceptis prophylacticis vulgò tribuatur ad curationem procedamus.

EBRIETATIS CVRATIO.

CAPVT LXVII.

DVplex medentis finis primarius assignari solet. Primus vt inculpata sanitas conseruetur: Alter vt aduersa reparetur. Priorem altero longè nobiliorem censet Galenus, cui suffragatur vniuersa medicorum schola, quanto enim præstantius est à casu se

vindicare, quàm collapſum ſe & iacentem erigere? Verùm vt perpetua eſt in humanis rebus viciſſitudo, vt aſſiduo motu, ac veluti circulo ſurſum deorſum feruntur omnia, vt in tuenda valetudine parum prouidi ac ſtudioſi ſumus, ad curationis inquirenda præſidia moleſtus grauiorum affectuum ſenſus torpentes excitauit; reluctantes impulit, neceſſitas, languentes adegit. Illæſum Æneam tueri Venus non potuit, læſum dictamno & Panacæa percurauit. Rarum certè eſt in hoſtium inſidias ac in tela ſine offenſione incidere: Arduum quoque & miraculo proximum ruere in popinonũ manus, & ad pocula deuenire, quin ebrietas ſuccedat, vtcumque te præmunieris. Quamobrem ad Panacæam aliquam, aut Cephalicum Dictamnum recurrendum, ad eius inuentionem medicæ intentiones dirigendæ. Et quoniam ſublata cauſa hic affectus tollitur, vt pote qui nullas in habitu firmauit radices, à morbificæ cauſæ ſublatione pendebit curatio.

Ebrietatis porrò generationem re-

tulimus in vapores ſua vel quantitate aut craſſitie cerebrum obſtruentes, ac penè obruentes, vel caliditate & humiditate, ſed caliditate maximè alterantes; ad eiuſmodi vaporum diſſolutionem prima potiſſimaque ſpectabit intentio. Quanquam ventriculi euacuatio primum agentis conſilium ad ſe rapit(fruſtrà enim ſiccare riuulos contendimus ni fontem exhaurimus) Prima mali labes à ventriculo, à quo noui fomitis metus, ni cautè prouideas. Efferueſcentis quippe temeti reliquiæ nouum halitibus pabulum ſuppetent, qui cum ſponte naturæ ſurſum elati, tum reſoluentium calore grauiùs concitati in effluxæ materiæ locum ſuccedentes, ſi non infeſtum, irritum ſaltem reliquum conatum reddent.

Ad hunc explendum ſcopum varia imperantur à varijs, qualia oleum, aqua tepida, oxymel, hydromel, ciendo vomitui accommodata omnia, quibus radicis aut ſeminis raphani decoctionem lubens adiunxerim pro Emetico, & Amethyſto familiari nec inualido commendatam. Vaporum ad ſu-

periora insultus, oris collutione statim à vomitu reprimendus, in quem vsum probatur Oxycratum cum pauco melle, eò magis quod pari negotio maxillarum erosionem ac putredinem, & oris fœtorem prohibet ac emendat. Si quid vomitionem dehortetur (plurimos enim reperias quos nulla arte ad vomendum impuleris, alios non sine graui dispendio vel suffocationis metu: Quibusdam etiam parum profuerit vomitus, nempe cùm ad intestina delapsæ sunt cruditates) huiusmodi casibus ænema præscribendum hac forma.

Recip. Foliorum verbenæ
Fumiterræ,
Atriplicis
Berulæ
Parietariæ
Raphani
Comarum absinthij ana. m. j.
Sem. Carthami.
Anisi ana. P. ij.

f. Decoctio secundùm artem. In colaturæ libra vna dissolue hieræ Galeni.
Benedictæ laxatiuæ ana. drach. 3.
Mellis rosati solutiui vnc. 2. & ß.
Clyster.

Tentatis id genus euacuationibus vapores à capite reuellendi frictionibus & dolorificis extremorum ligaturis; sopita ventriculi vis recreanda, depellendæ molestiæ ex potu & vomitu contractæ, concoquendæ superstites reliquiæ. In hos vsus instituendi litus ex oleis è nuce moscata, mastiche, absinthio. Concinnandi sacculi ex folijs menthæ, absinthij, origani, maioranæ, ligno aloës, mace, garyophyllis, acoro vero, spica nardi, cypero, corticibus citri resiccatis & in puluerem crassiusculum redactis. Parandi fot⁹ ex ijsdem aqua & vino incoctis. Ália suo ingenio effingent quibus neque ars deest, nec prudentia, rudioribus ista sunt satis.

Sunt qui faciliore opera, & minori sumptu negotium tentant, ebriati scrotum frigidissima demergunt haud fallaci (vti asserunt) experimento, siue ab externo frigore protinus vini vaporumque æstus compescatur: siue reuocat⁹ ad interiora per Antiperistasin calor viuificus, affectarum partium expultrice roborata, causæ extraneæ depulsionem moliatur: seu potiùs do-

lore in partibus ſenſu exquiſitiſſimo præditis ab excellenti frigore inducto, ventriculi ac inteſtinorum vis expultrix (quibus magna cum teſticulis conſenſio) ad deponendam ſarcinam proritetur: ſeu denique mox obiecta aqua refluentes in ſcrotum vna cum ſanguine ſpiritus ſecum vinoſos halitus confertim ac impetu rapiant, & à ſuperioribus, ad contraria reflectant. Ego certè cum ætate pubeſcente Friburgi Briſgoiæ Philoſophiæ nauarem operam, Ioannis Baptiſtæ Portæ Neapolitani lectione doctus (in cuius magia naturali iſtud habetur ſecretum) periculum feci in meo quodam ſocio egregiè poto, laceſſebat is vnumquemque valdè inſolenter, magnis vrgebat clamoribus, neque detineri vi aut precario in Hypocauſto poterat, tandem reſeratis foribus intempeſta nocte prodit in apertum vicum: ego hominem inſequi ne quid ſiniſtrè ipſi contingeret, vbi ventum ad fontem, qui à noſtris ædib⁹ non procul aberat, hortatus ſum vt genitalia cum ſcroto in profluentem immergeret, annuit is dicto ocius, nec

multo post horrore cõcutitur satis vehementi, repressus quasi momento petulans temeti furor, domum reduci se patitur iuuenis,, vix calidum Hypocausti aërem inspirat, cùm ecce ingesta omnia, vinum, cibos, crapulam protinus & violenter euomit, & ad se redit ita quietè, vt non nisi per somniũ paulò ante fuisse ebrium dixisses. Mulieribus administrare id præsidij genus vetat partium conformatio, vetat sexus pudor& modestia ne Oreadum in morem furore se Bacchico percelli sinant. Si quæ tamen voluptate belluina, delinitæ fœmininam verecundiam deponãt, vel fœminina fragilitate aut imprudentia lapsæ belluinum affectum contrahant, adhibendus mammis fotus calidulus ex aceto accerrimo.

His omnibus non parùm promouerimus, nondum tamen res in vado, quamdiu reliquum est in corpore aliquid quod in cerebrum influat, vel affluxis vaporibus caput distinetur, aut inducta dyscrasia mentis sensuumque actiones interturbat: Reprimendus itaque ante omnia vaporum insultus cùm

admotis tum assumptis, postmodum ad discutientia veniemus & inductam intemperem corrigemus: reprimēdo conuenient capitis frontis & temporum Embrochæ ex oleo rosato, succo caulium & hederæ, simul mixtis cum tantillo aceti. Ceratum componetur ex oleo Omphacino, rosaceo, aut mirthino, & cera, in succis præfatis optimè elota pro frontali. vel sacculo lineo excipientur rosæ, hederæ caulium mirthi, plantaginis folia, & alia id genus adstringentia, & fronti ac temporibus aptabuntur. Galenus sola brassicę folia ignis calore emollita summo vertici applicat efficaci remedio, neque obmittenda faciei irrigatio ex aqua rosacea & aceto. Internæ nares oxyrhodino, vel vnguento roseo illinendæ. Inspirandus rosarum odor florum nenupharis, & violarum, additis santalis & camphoræ momento.

Ad interna quod attinet laudant Apollonius, Paulus Ægineta, Oribasius vt statim à vomitu frigidæ scyphus offeratur, Ego cum Arnoldo Villanouano succum granatorum addi velim, aut

aceti modicum. At consultiùs futurum arbitror si opiatæ, aut pulueris antea à nobis præscripti portio sufficiens deuoretur: & vini granatorum tres aut quatuor vnciæ superbibantur. Polyneuron magni hac in parte æstimat Scriboni⁹, nescio an Plantaginem maiorem intelligat, quam maxime probamus. Horum vices supplebunt pira austera, poma acidula, sorbi, mespilli, aliique id genus fructus frigidi & adstringentes. His remediis non modò intentum assequemur vaporum ascensum cohibendo, atque repellendo, sed præterea illorum feruorem, & vini in stomacho efferuescentis ardorem restinguemus, calidam cerebri intemperiem ad symmetriam reducemus, qui primus ac præcipu⁹ est curationis scopus. Non hìc subsistendũ tamen, neque enim certa vnquã & ab omni metu immuni victoria potiemur quamdiu partem capitis aliquam fumi superstites occupabunt. Quibus in auras dissoluendis cerebri oppressus calor per se ac sine aliena ope satis esse non potest: quãobrem adsciscendæ auxiliares co-

piæ, in quem vſum Angli & Belgæ Nicotianæ fumum ore aut naribus per tubulum excipiunt: inde roborari cerebrum inquiunt, mentem acui, ebrietatẽ depelli, orta ab ebrietate ſymptomata profligari. Valet equidẽ ad ebrietatem quam vini debilis excedens potus, aut ceruiſiæ vapores craſſiores obſtruendo procrearint, quò fit vt præfatis nationibus non parùm conferat ad propulſandas iniurias, quas ceruiſiæ halitús craſſi, frigidi, humidi, intulere, nam tenuium eſt partium, calore potens & ſiccitate. Tantum verò abeſt vt cerebro vini generoſi potione ęſtuanti quicquã proſit, vt multum etiam obſit. Norunt qui de ſimplicibus tractarũt, ſacrificos Indos Nicotianę fumum frequenter inſpirare quò ſenſu motuque deſtituti in Ectaſin incidant. Indos etiam aliquos & Æthiopas reperiri qui eiuſdem inſpiratu ſomnum ſibi prouocent & mira inſomnia; alios qui mox in furiam cogantur, & velut extra ſe poſiti concidant: grauiora non parit ebrietas, imò ne his quidẽ æqualia, niſi cùm ad ſumma deuenerit. vt

mirum apud me fit à quo illa inuehuntur ab eodem temulentiæ symptomata sedari posse: Tutiùs itaque sibi nostri ebriati consuluerint illitu ex oleis discutientibus, sudoribus, aut (quod cæteris præferendum) somno. Intro per somnum redit natiuus calor, cruda coquit, fumos discutit, sparsos & concitatos spirit⁹ vnit & cohibet, neruos firmat, sensus reficit, omnem virtutem animalem instaurat, & refouet, denique reparat & resarcit quęcunque inuecta ab ebrietate incommoda.

Prisci balnea à somno præscribebāt ad laxandos corporis poros & vini reliquias per ambitum euocandas: nunc cùm obsoleuerit balneorum vsus, visum recentioribus vt tegumentis eliciatur sudor, è capite præsertim & supernis partibus. Probata id genus auxiliorum vis somni præ reliquis celebrata vulgò, & familiari experientia confirmata. Ego certè somno tantùm deferendum censeo (tum maximè cùm præfatæ vacuationes præcesserint) vt pro indubitato ferè constituam expergisci sobrium qui somno indulserit ebrius.

ebrius. Verùm quidem eſt, à ſomno plerumque ſupereſſe grauitatem capitis & dolorem, ſenſuum ſtuporem, ἀνορεξίαν & faſtidium ciborũ, denique vniuerſi corporis laſſitudinem, conſtant nihilominùs facultates principes neque vlla offenſæ rationis indicia apparent nulla veſtigia, quare neque iuſta præſentis ebrietatis ſuſpicio. Ad mulcendos capitis dolores, præter diſcutientes litus ex oleis Chamæmeli, anethi, liliorum alborum, & ſimilibus, Medici, duce Hippocrate, ad meri potum recurrunt, ita iubet ſchola Salernitana.

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Matutina hora rebibas, & erit medicina.

Vulgares medicorum exemplo docti, ab eo remedium petendum dictitant, à quo eſt inflictum vulnus. Non tamen in vniuerſum nullo diſcrimine quocunque oblato caſu vinum conuenit: Diſtinguendum, an à feruore cerebri, aut feruidi ſanguinis copia vaſa diſtendentis oriatur dolor. An à vaporibus & flatibus reſolutioni præ craſſitie &

frigore contumacibus. Priore casu quisquis vino vtitur malum addit; Adaucto incendio, adaugescit dolor. Augetur ab iterata meri potione sanguis, cum sanguine incendium, & venarum distentio, cum vtroque dolor. Adaucti à generoso vino sanguinis & feruoris argumentum euidens genarum rubor, oculorum inflammatio, pulsatio temporum, venarum tumor, frontis atque adeò totius capitis æstus vehemens & molest⁹, quæ omnia detractioni potiùs quàm adiectioni suadẽt incumbẽdum. Detractionẽ moliemur, si affect⁹ vrgeat, aperta Cephalica, optimã medẽdi magistrã naturam imitati, quæ spõte per nares effuso copioso sanguine non rarò subuenit. Posteriore casu vinum epotum iuuat calfaciendo, attenuando, resoluendo. Sic à vino ebrietatis & præsentis tractationis finis, à quo vtriusque sumptum exordium.

CONCLVSIO.

TIbi (curiosè Lector) imitatione Lacedæmonum Ilotam ebrium

visendum obieci, hoc est fœdissimæ voluptatis mancipium sordidissimum, sacris Canonibus damnatum, legibus Ciuilib⁹ mulctatum, tractatum immaniter à crapula, coniuratum naturæ hostem omni humanæ naturæ conditione spoliatum, irrationalem hominem, belluam insensilem, immobilem, stipitem veriùs quàm stirpem: sapias alieno malo; mihi istud intentum, istud tentatum fuit. Olim queribundo cuipiam quod cibum insuauiter sumeret, Acumenus (inquit Socrates) huic rei bonam medicinam edocet, παύσασθαι ἐσθίοντα à cibis abstinere ἥδιον γὰρ καὶ εὐτελέστερον καὶ ὑγιεινότερον διάξειν παυσάμενον sic enim & iucundius, & vilius, & sanitati conueniētius degitur. Quereris res tuas negligi, dilapidari fortunas, membra variè distorqueri, deprauari sensus, collabescere memoriam, languescere animum, denique abire te in hominum, & fortunæ risum ac inderisum? à popinis abstine, popinones fuge, nullis te blandientibus Oreadum vocibus capi, nullis Bacchi illecebris

deliniri ſine: ſic enim & domeſticis tuis rebus, & valetudini conſules, & nomini. Ita faxit DEVS immortalis, ita conſilia dirigat, ita regat actiones.

FINIS.

INDEX CAPITVM.

Finis Indicis.

ERRATA SIC CORRIGE.

p paginam, l lineam denotat.

PAgina 6. linea 9. lege cohibuisse. ibid. l. 27. purpureas. p. 25. l. 21. cuiquam. p. 26. l. 6. non permeet. p. 28. l. 17. ab isto. p. 35. l. 25. tum. p. 46. l. 10. ἀυλοψία. p. 49. l. 3. quamque. p. 50. l. 15. enecentur. p. 52. l. 1. proficiscitur. ibid. l. 2. obtineat. p. 54. l. 17. inferior. p. 68. l. 19. reflectentes. p. 79. l. 15. ante. p. 80. l. 5. quacunque. p. 90. l. 7. angustisque. p. 99. l. 24. functionum. p. 102. l. 22. vocatam. p. 106. l. 9. quorum. p. 113. l. 14. humiditatibus diffluit. p. 129. l. 17. nos incurrere. p. 145. l. 6. Quidquod. p. 146. l. 3. dele intactam quam. ibid. l. 5. quàm eius. ibid. l. 6. incitaretur. p. 149. l. 8. fotu. ibid. l. 20. Nasutus. p. 154. l. 8. meus. p. 155. l. 17. &. p. 161. l. 8. addicta. p. 163. l. 2. illuuies. ibid. l. 3. addictæ. p. 167. l. 7. funus. p. 176. l. 17. suas. p. 180. l. 9. iam. ibid. l. 19. auctore. p. 181. l. 12. millibus. p. 186. l. 12. Oriza. p. 189. l. 18. eum. p. 192. l. 7. tanta. ibid. l. 8. sopore. p. 196. l. 8. exspiratu. p. 197. l. 10. loquendi. p. 198. l. 17. cingeretur. p. 200. l. 26. Quidam. p. 204. l. 18. ait. p. 206. l. 5. cōdire. ibid. l. 16. vino. p. 210. l. 5. fixisse. ibid. l. 6. videatur. p. 216. l. 23. Quæ. p. 220. l. 19. insita. p. 224. l. 11. congeneres. ibid. l. 26. immanitatem. p. 225. l. 21. consita. p. 228. l. 16. quas. ibid. l. 21. nosque. p. 237. l. 5. Ari barzané. p. 238. l. 2. voracibus. p. 239. l. 22. superare. p. 240. l. 10. postcenium. ibid. l. 12. Nouus. ibid. l. 13. &. p. 241. l. 27. solitum. p. 247. l. 24. illas. ibid. l. 27. Hetruscæ. p. 249. l. 2. numeris. ibid. l. 7. renouandæ. p. 250. l. 7. annosæ. ibid. l. 17. frueretur. ibid. l. 19. fore. p. 251. l. 21. Viua. p. 252. l. 25. abhorrere. p. 257. l. 24. discrepant. p. 263. l. 11. dissidia. p. 264. l. 3. extructæ. p. 265. l. 22. vulnere. p. 268. l. 26. quod. p. 269. l. 27. feriunt. p. 270. l. 9 haustulos. p. 272. l. 6. Alia. ibid. l. 15. Parantur. p. 275. l. 12. defuit. ibid. l. 19. ita. p. 276. l. 8. Antiquus. p. 279. l. 14. à te. p. 281. l. 26. quantam. p. 284. l. 18. ebibendam. p. 291. l. 11. genistæ. ibid. l. 15. con-

parati.p.301.l.22 consecutus.p.302.l.21.armis.p.314.
l.4.in morem.p 316.l.19.canabis.p 317.l.23.ordine.p.
324.l.14. si ad cæteras.p.328.l.20.Ectases.p.329.l.21.
A.p.330.l.23.imprimitur ibid.l.25.repetitis.p.331.l.
24.infirmius eu dit.p.332 l.18. drunk. p.333.l.3 vlla
ibid.l.23.vomitu commodum.p.335.l.3.restinguitur.p.
336.l.2.iure ibid.l.3.ebriatis.ibid.l.21.persentiunt.p.
338.l.1.singu rum.ibid.l.13.Alexandro.ibid.l.15.Bacchico.ibid.l.16 ipse.p.340 l.8.compesci.p.342.l 23.
subrepticiè.p.343.l.9.adegit.p.344.l.12.siue.p.346.l.
8.fastidia.ibid.l.15.feriant.ibid.l.21.Multum.ibid.l.23.
vua.p.348.l.4.quadam.p.351.l.6 valeant.ibid.l.10.
commendatum.p.352.l.10.diluto.p.354.l.9.vaporibus
intercludit oris.p.356.l.11.nullus.ibid.l.14.putatur.p.
357.se,si quid.p.358.l.20 serta.p.360.l.11.frigiditatem.
ibid.l.19.vbi.p.375.l.27.aliam ob causam.p.379.l.10.
arida.ibid.l.14.deuorantes.p.381.l.19.pronunciarit.p.
385.l.14.medicis illi.p.389.l.13.alis.ibid l.26.hac p.
393.l.13.diutiùs.p.404.l.14.illa comparentur.

99 99.
ca,